THERAPEUTICES

ET

MATERIEI MEDICO-CHIRURGICÆ

ELEMENTA

EX INSTITUTIONIBUS CHIRURGICIS

THERAPEUTICES
ET
MATERIEI MEDICO-CHIRURGICÆ
ELEMENTA

auctore
JACOBO BAROVERO

COLLEGII CHIRURGIÆ DOCTORIBUS ASCRIPTO, INSTITUTIONUM CHIRURGICARUM
ET CLINICES MORBORUM SYPHILITICORUM PROFESSORE
R. MILIT. ACAD. ORDINARIO, R. NOSOC. CHARITATIS PRIMARIO CHIRURGO

TAURINI
EX TYPOGRAPHIA REGIA
1825.

Chirurgo, qui perfectus in medendo esse velit, pernecessarius est usus rectus medicamentorum.

M. A. Sever.

PRÆFATIO.

Iisdem sane principiis superstruuntur Medicina et Chirurgia, quarum adeo sunt inter se connexae partes, ut aegre altera separetur ab altera: morbi enim ex eorum natura iidem sunt, quilibet sit locus; hinc, eadem ferme esse debere praesidia quibus debellentur, necessario consequitur.

Chirurgia quidem manu potissimum praestat, quum divisa unit, continua solvit, supervacanea et aliena evellit, ac deficientia restituit: at simul consentiunt omnes artis medicae cordati viri veram sinceramque laudem et gloriam illum assequi dumtaxat, qui encheireses chirurgicas saepius evitare didicerit. Vehementis externae inflammationis apta curatio, fistulas, scirrhum, carcinoma, gangraenam, et cariem praepedire valet. Quo opportunior est methodus, qua hodie curantur capitis ictus, eo infrequentior terebrationis occasio; quo majori copia praesto erunt mitiora et efficaciora praesidia ex materie medico-chirurgica petita, eo

rarior se se offeret extremi Chirurgiae subsidii necessitas. Satius profecto altum, latumque ulcus, quo divexatur artus, medicamentis sanare, quam artum ipsum detruncare. Immo jure ab hominibus horrore correptis digito demonstraretur Chirurgiam faciens, qui nil, praeter pungentia et secantia instrumenta, ad morbos coërcendos curandosve possideret. Adde quod si morbus caeteris auxiliis insanabilis, adhuc chirurgica operatione curatur, eadem operatio nonnisi novus est morbus mitior prioris, medicamentis externis, internisque curandus.

Siquidem nihil Medentibus acceptius, nihil aegrotantibus utilius quam selecta medicamentorum suppellex, unde vitae vires, quarum excessu aut defectu nulla speranda medela, et conservari, et imminui, et placide refocillari queant. Hinc est intelligere cur benemulti ex nostris Chirurgis saepius conquesti sint materiem medico-chirurgicam inter institutiones desiderari, cujus quippe necessitas teutonicos Scriptores, penes quos eadem viget Medicinae divisio, neutiquam effugit. Jure adhuc aestimantur scripta hac de re celeberr. Plenk, et apud nos, Pharmacopea

chirurgica D. Rebaudengo, quamvis utraque a dimidio fere saeculi in lucem edita.

Idcirco chirurgicas institutiones traditurus, et morborum syphiliticorum Clinicem facturus regio munere demandatas, therapeutices prolegomena, graecasque etymologias magna ex parte a praedecessore colendae memoriae Garneri deprompsi: at quum primis saltem materiei medico-chirurgicae rudimentis tyrones imbutos absolute necessarium credidissem, recensitis praesidiis a deligatione, et a Chirurgia auxiliaria desumtis, tria naturae regna juxta Vogelium in ordines disposita summatim exponere curavi; efficaciorum plantarum, aliarumque rerum officinalia nomina atque probatiores vires tantummodo indicavi, sed ita praestiti, ut medicamentorum natura, qualitas, virtutes, praeparata et adhibendi norma, in chirurgicis potissimum morbis, et syphiliticis innotescerent.

Ut vero in majorem commoditatem cederent indicata medicamenta, ea in totidem tabulas juxta usitatiores denominationes congessi. Utinam rei chirurgicae, hominumque saluti meus consulat labor.

ELENCHUS

Praecipuorum capitum.

THERAPEUTICES

ET MATERIEI MEDICO-CHIRURGICÆ ELEMENTA

Res generales.

Quando homines neglecta, aut invita hygiene, vel alia quacumque de causa in morbos incidunt, istos curare medentis officium est.

Morbum curare est ejus caussas abvertere, istarum effectus emendare, vitae vires reparare, easque ad sanitatem reficiendam dirigere.

Ea universae medicinae disciplina, quae res, praecepta, modos ad morborum curationem spectantia tradit, therapeutice dicta est a graeco verbo θεραπεύω sano, curo, unde etiam dicta est therapeia θεραπεία medela, curatio.

Quae prout spectat medicamentorum naturam et virtutes ad morbos a Medico curandos *materies medica* dicitur. Eadem vero una cum caeteris

auxiliis therapeuticis a Chirurgo adhibendis *materies medico-chirurgica* vocatur.

Nos igitur pro nostro instituto auxilia cuncta, quae ad morborum medelam spectant, perstringimus. In primis monere praestat, therapeutica praesidia ex variis fontibus hauriri, videlicet: a viribus naturae medicatricibus: ab apparatu deligationis partis affectae: a diaeta: victusque regimine: a Chirurgia auxiliaria Medicinae et Chirurgiae communi: a medicamentis e triplici naturae regno petitis: denique ab operationibus chirurgicis.

Quum adsint vitae conditiones, adjuncta, in quibus aliquis est pertimescendus morbus; quum eveniant morbi, quorum sanatio amplius obtineri nequit; quum alii denique sint, qui sanari omnino possunt: hinc triplex est therapeutices scopus, scilicet morbos praecavere, insanabiles reddere mitiores, sanabiles vero radicitus abvertere, proinde vel *prophylactica* (1), vel *palliativa*, vel *eradicativa* est curatio morborum. Ita ad exemplum *prophylactica* curatio suscipitur in militibus equestribus nondum hernia laborantibus, sed huic morbo facile obnoxiis ope *bracherii*; *palliativa*

---

(1) Prophylacticus derivatur a verbo graeco προφυλάσσειν excubias agere, *star in guardia.*

in hydrocele testis cystica ope simplicis punctionis; *eradicativa* in eadem hydrocele ope incisionis, vel excisionis, etc.

Sicuti infirmitates, et morbi consistunt aut in laesa fluidorum indole, et copia, aut in laesa solidorum vi, structura, atque compositione; ita medentis officium est aut bonam fluidorum indolem, et copiam restituere, aut solidorum vitales vires abnormes ad naturalem conditionem redigere, vitiosam eorum structuram, et compositionem reficere, reducere; nec non aliquando malas partes auferre, ne inde universa corporis constitutio magis ac magis labefactetur.

Res ergo in eo est, ut seligantur apta auxilia ad singula illa perficienda, pro quibus requiritur tum corporis laesionum, tum therapeutices praesidiorum dilucida notitia.

Absolutam morborum notitiam per diagnosim (1), et prognosim (2) obtinemus. Diagnosis est intellectus operatio, qua, collatis affinium morborum signis, dijudicamus praesentem morbum a quocumque simili.

---

(1) Diagnosis διάγνωσις est plenior dijudicatio a verbo διαγινώσκω pernosco.

(2) Prognosis πρόγνωσις antedecretum a graeco verbo προγινώσκω composito ex πρὸ ante, et γινώσκω cognosco, decerno, antedecerno, praevideo.

In diagnosi et prognosi instituenda eo magis praestabit Chirurgus, quo plenius communia totius Medicinae rudimenta edidicerit, quo magis exercita in nosocomiis habebit sensuum organa, quo demum perspicaciore, subtilioreque ingenio erit praeditus, ut observata methodico ordine disponat, eaque pro re nata in memoriam revocare possit, et confusa, et intricata in morbis sciat facile discernere.

Ad quae assequenda aegri aetatem, temperamentum, corporis habitum et robur, ingenii vim, animique naturam, vitae genus, praegressam valetudinem, praegressos morbos, habitas curationes, diaetae rationem atque alia hujus census studeat cognoscere.

Foeminis et infantibus si medendum est alia sciscitanda sunt. In foeminis, an fluxus menstruus adsit, vel immineat, vel jamdiu substiterit; cum vero flueret, qua copia, qualitate; utrum nupta, an vidua, an albo fluore laboret, an unquam conceperit, tumque maturum partum in lucem ediderit, si facile aut aegre, aut abortum passa sit, an uterum gerat, quo graviditatis mense consistat, quibusque inde prematur incommodis; an denique recens enixa infantem suo lacte nutriat.

Infanti vero ut succurramus praeter illa quae cum adultis communia sunt, ab ejus matre aut nutrice percunctandum est, num ipse a sanis parentibus ortum duxerit, aliquot jam dentes emiserit,

atque iis erumpentibus in alvi fluxum, febrim et reliqua quae difficilem dentium eruptionem comitantur, semel aut iterum inciderit, an ei vaccinum pus fuerit insertum, aut variolas benignas aut malignas passus sit, an vermes unquam dejecerit.

Scire pariter interest num aliqua lacteae crustae, aut incipientis rachitidis signa praeseferat, ventre tumeat, irrequie, vagitu, vigilia, et similibus aliquid se interne pati significet, an convulsionibus corripiatur, herniosus sit, solo lacte vivat, vel aliis quibusque cibis vesci incipiat, ac caetera quae ad ejus aetatem propius pertinent.

Monendum restat homines occurrere qui quum propriam aegritudinem exponunt ea e consilio subtrahunt quae Chirurgum ducere possent ad proximam illius causam detegendam. In ejusmodi casu expedit quod aeger revelare renuit percunctari ab amicis et propinquis. Quod si neque ab his datum sit rei veritatem eruere, ipsa vero morbi phoenomena causam quae suspicatur subtus latere suadeant, ipsis attendere licet in dirigenda aegri curatione.

Aliud aegrotantium offendimus genus cujus proprium est morbum ejusque symptomata valdopere amplificare. Sunt hujus census meticulosi, hypocondriaci, valetudinarii et melancholici. Caveat ergo Chirurgus ne cunctis quae narrant, fidem

protinus adhibeat, sicque eorum opinioni nimis obsequendo in errorem adducatur.

Prognosis est intellectus operatio, qua futurus praesagitur morbi decursus, et exitus; illa a bene instituta diagnosi deducitur. Morbi quotquot sunt, vel in sanitatem, vel in alterum morbum, vel in mortem abeunt. Hinc prognosis vel *fausta*, vel *infausta*, vel *lethalis*. Modo morbi decursus, et exitus absque ullo errandi discrimine praenuntiari potest; modo res in ancipite haeret, adeoque intricatis implicatur nexibus, ut vel peritissimos lateat. Hinc prognosis etiam modo *certa*, modo *probabilis*, modo *dubia*. Futura autem praevidere, atque praenuntiare aliquid est divini; ergo parum decet morborum praesertim exitus nimia asseveratione affirmare, quum vel exercitatissimi artis magistri suis saepe conjecturis aberrent. Hoc unum pro certo tenendum est, summam et in facienda, et in proferenda prognosi cautelam esse adhibendam, ut jactantiae, et turpitudinis errores saltem vitentur.

Si funesta est prognosis nunquam aegrotis est aperienda; suis vero, aut adstantibus periculum non est ignorandum, ut de religionis officiis, nec non de rebus domi prudenter quidem, sed opportune aegrotantes commoneantur.

Immo « Tertia die postquam continua febris incesserit, et citius, ubi periculum erit, aeger commonefaciendus, ut divinis se se reficiat sacra-

mentis. » Ita enim vos jusjurandum suo tempore devinciet

Cognito morbo, praeconceptaque prognosi, subeundum est ad curationis indicationem. Indicatio definiri potest judicium illud, quod a medente eruitur circa auxilia, quae in morbi genere, specie, et differentia sunt deligenda ad illum profligandum, et ad meliorem, citioremque adipiscendam sanationem. Haec dijudicatio, sive *curativa* indicatio, uti vocatur a Pathologis, desumitur a rebus omnibus ad morbos pertinentibus, uti sunt eorum caussae, symptomata, signa, etc. Desumitur etiam a naturalibus rebus, uti sunt aetas, sexus, temperamentum, idiosyncrasia, vivendi ratio, anni tempora, loci, salubris vel insalubris constitutio aëris, aliaque id genus; sed prae caeteris a caussa proxima, nempe a *conditione morbosa*, et *locali*, et *constitutionali*, uno verbo ab essentia morbi.

Haec ideo dicuntur *indicantia*; quae vero in usum vocantur ad indicationem explendam auxilia, appellantur *indicata*.

Sunt qui duplicem distinguunt indicationem, nempe *rationalem*, et *empiricam*.

Rationalis dicitur *indicatio*, quando judicium a solidis ratiocinandi legibus emergit, ad trutinam revocatis vitae viribus, essentia morbi, remediorumque actionibus.

Empirica (1) vero nuncupatur *indicatio*, quando solis observationibus fulcitur, ob id, quod morbi essentia ignoratur, et quorumdam remediorum actiones minime nobis compertae sunt. Hinc ortae fuere rationalium, et empiricorum sectae.

Indicationi primariae interdum alia adjungitur indicatio, quae illam roborat, confirmatque, et *coindicatio* nominatur; primariae vero indicationi aliquando a peculiaribus adjunctis contraria exsurgit indicatio, quae priorem respuit, et *controindicatio* vocatur. Ita *coindicantia* dicuntur adjuncta illa, quae praecipuam indicationem roborant, et *controindicantia*, quae istam respuunt. In phlegmone puta, quae accidat homini jam sanguinea plethora laboranti, apertissimum habemus *coindicationis* exemplum; phlegmone enim per se praebet indicationem mittendi sanguinis; plethora sanguinea eamdem indicationem praebet, atque confirmat, adeo ut in hoc casu phlegmone absque dubio sit potius curanda sanguinis missionibus, quam aliis remediis infirmantibus. Quid autem intelligendum sit de *controindicatione* altera exempla manifeste patefacient. Quidam morbus vomitionem expostulat, sed praesens graviditas vetat nos vomitionem ciere; siquidem haec etiam abortum

---

(1) Empiricus ἐμπειρικὸς a πεῖρα conatus, tentamen, periculum quasi Medicus a periculis et usu peritus.

provocare posset. Bubo insllammatus *controindicat bracherii* usum, quem sibi vellet hernia libera, si buboni consocietur. Vulnus vel levissimum, si venenatum a rabidi canis morsu, sollicitam cicatricem recusat, etc.

Therapeutica igitur disciplina praenotionibus Anatomes, Physiologiae, Hygienes, Pathologiae, materiae medico-chirurgicae, nec non chirurgicarum operationum peritissimo usu fulcitur, hisce optime imbutus, hypotheticas, et a sincera praxi alienas repudiabit opiniones; solis naturae viribus relinquenda nec intempestivo remedio, nec nimis propero aggredietur; si quid autem requiratur artis auxilium, in eo seligendo, et administrando moras non injiciet. Quicumque vero Hippocraticam artem pro dignitate exercere voluerit, in res medicas, atque chirurgicas toto animo, toto studio, per totum vitae curriculum incumbat, et ita magnopere humanitatis utilitati inserviet.

Sicuti jam monuimus therapeutica praesidia desumi:

1.° A viribus naturae medicatricibus.

2.° A diaeta victusque regimine.

3.° Ab apparatu deligationis partis affectae.

4.° A Chirurgia auxiliaria.

5.° A medicamentis e triplici naturae regno petitis.

6.° Denique ab operationibus Chirurgicis; ita de hisce singulis [quoad therapeutices elementa spectant, breviter verba faciemus.

CAPUT I.

DE VIRIBUS NATURÆ MEDICATRICIBUS.

Artis auxilia saepe saepius inutilia evaderent in morborum curatione nisi *naturae vires* sponte et continuo actiones laesas restituere in naturalem integritatem intenderent.

Insita enim est in humana machina peculiaris vis ab ejus effectibus notissima, ob quam corpus integrum servatur et laesae ejus partes jugiter reparantur, quae vis conservationem corporis sani, et restitutionem infirmi regens et temperans omni vitae momento, jure meritoque *vis naturae medicatrix* dicenda est.

Ejusdem effectus manifestissimos habemus in Chirurgia, et:

Vis consolidans vocatur in vulneribus, ulceribus, et fracturis.

Vis suppuratoria quae cruda, obstructa, acria, aliena, gangraenosa, cariosa separat.

Vis absorbens quae in hydrope, ecchimosi, aliisque tumoribus apparet.

Vis excernens quae per cutem, renes, intestina, fonticulos, metastases, tumores criticos vitiosorum humorum excretioni favet.

Vis vitalis aucta ut in febri contingit.

Vis vitalis imminuta ut per haemorrhagias variasque excretiones observatur.

CAPUT II.

DE DIÆTA VICTUSQUE REGIMINE.

Quomodo prosint, quomodo obsint sanis *circumfusa*, *applicita*, *ingesta*, *excreta*, *gesta*, *et percepta* in hygienes elementis singillatim traditum fuit; inde non difficile colligere est, quomodo illa proficere, aut officere valeant et infirmis.

Ideo in hisce primis therapeutices lineis vix commemorabimus rerum *connaturalium* omnium castigatum usum valde aegrotantibus opitulari; nempe diaeteticum regimen modo sufficere ad sanitatem restituendam, modo tanti esse momenti, ut caetera, absque illo, therapeutica praesidia effectum nullum, aut non nisi imperfectum in morborum curatione sint productura. Enim vero non raro acutos morbos solius diaetetici regiminis ope sanari, quotidie observant sinceri Clinici; in chronicis autem, et ferme desperatis morbis, post adhibita quam plurima medicamenta, ab uno congruo vivendi regimine recuperatae sanitatis non infrequentia legimus exempla.

Neque tantum optimus cibi potusque usus magni faciendus in multis morbis, sed multiplicia

exercitationum et gestationum genera, providus aëris delectus, idoneus vestium usus, tum demum animi pathemata opportune excitata, quanti habenda sint ad universum corpus firmandum, ad erigendos et incitandos naturae motus quotidiana comprobat experientia.

Hinc, praeeunte venerando semper totius Medicinae primo magistro Hippocrate, nobis concludere fas sit, quae non sanat diaeta, medicamenta sanant; quae non sanant medicamenta, Chirurgia sanat; quae vero nec diaeta, nec medicamenta, nec Chirurgia sanat, ea insanabilia sunt existimanda.

De alimentorum ratione in aegrotis, atque convalescentibus scire convenit, minime confici alimentorum digestionem absque quadam digerentium organorum adaucta incitatione, quae ab ipsis alimentis obtinetur: proinde vel aeger jam nimia incitatione laborat, et tunc male haec augeretur consuetis alimentis; vel aeger debiles, fractas habet vires illorum organorum, et ventriculi praesertim, et tunc consueta alimentorum copia superior esset istiusmodi debilitate. Idcirco aegroti semper parcere debent alimentis, quae temperanda usque sunt, prout valent digerentes vires.

Alimentorum regimen in convalescentibus praeterquamquod accomodari eadem ratione debet digerentibus viribus, ut recidivus morbus devitetur, eo sic moderandum ut apte reficiatur resurgens valetudo.

Quamobrem rediens a terminato morbo appetitus ciborum completae valetudinis est signum; ex deficiente contra appetitu in convalescentia, morbi nondum penitus devicti. Interea, si dubiae valetudinis maneat suspicio, haec duo sunt caute observanda: 1.° non indulgenter nimis primo appetitui obsequendum; 2.° nil concedendum solidioris cibi, qui nimis digestioni resistat.

CAPUT III.

DE APPARATU DELIGATIONIS PARTIS AFFECTÆ.

Multa Chirurgo sunt necessaria quae ex materia medico-chirurgica nulla ratione depromuntur, ex quibus alia inesse debent ipso Chirurgo: alia sibi comparat extra communes materiei medicae fontes.

Inesse debet Chirurgo *manuum* et *instrumentorum* in humani corporis morbis *exercitium* ut iisdem prompte mederi possit.

Hoc autem exercitium nonnisi a frequentibus in nosocomiis acquiri potest. In his enim magnus reperitur aegrotantium numerus super quos assidua comparatio instituenda inter Antecessorum praecepta, et morbum ipsum; et observandum est solertissime quae morborum genera, qua ratione, quibusque

artificiis, et medicamentis convaluerint. Valet enim illud effatum, non sola lectione, meditatione, ac disputatione, sed *usu fieri Magistrum*.

In morbis chirurgicis debellandis, cum non sola vis naturae medicatrix, et victus ratio, per se sufficiunt, sed manus etiam ut supra dictum est, requiritur, hinc quae ab ipsa manu adhibentur, respiciunt vel *deligationis apparatum*; vel *portatilia instrumenta* ad medicationem necessaria.

Ad apparatum deligationis spectant primo loco *linamenta carpta*; haec ex linteo mundo, discerpto et in filamenta dissoluto conficiuntur: *glomera* diversis nominibus pro varia eorum forma et figura: *plumaceola*, italice *piumacciuoli*, *faldelle*: quae figuram quasi cilindricam praeseferunt *glomera cilindrica*: vel si adhuc propius figurae cilindricae accedunt ad instar clavi *turundae*, ital. *stuelli*: quarum post vulnerum et ulcerum rationabiliorem medendi rationem fere obsoletus usus, si excipiamus cohibendi sanguinem in vulneribus recentibus occasionem.

Conficiuntur etiam *turundae e linteolo integro oblungo* filamentis in lateribus discerptis, quae italico sermone *fettuccie* dicuntur, quibus aperta servari interdum debent vulnera in aliquam corporis cavitatem penetrantia.

Alia turundarum species comparatur ut nimis angustum vulneris aut ulceris os sensim amplietur, et sanguis et pus facilius inde extrahantur. Con-

ficiuntur istae ex spongia praeparata, ex gentianae, rapae radicibus arefactis; siquidem spongia et hae radices ab humoribus effluentibus intumescunt ipsasque ulcerum oras diducunt.

Ad deligationis apparatum referenda sunt emplastra, quibus lintea linea, aut serica, aut aluten inducuntur; quorum praecipua seu in frequentiorem usum usurpata sunt *diacquilon simplex*, *cum gummis*, *e betonica*, quibus ad vulnerum oras admovendas tantummodo utebantur tunc temporis Chirurgi, nunc vero ad ulcerum vetustorum oras etiam appropinquandas juxta methodum Chirurgi Baynton in usum veniunt.

Emplastris caeterisque medicamentis applicitis super imponi ut plurimum solent *splenia*, seu panni lini detriti quater, sexies, octiesve complicatis, italice *compresse* nominata.

Siquidem non tantum ad avertendum aëris injurias, sed ad ipsam deligationem magis firmam magisque accommodatam reddendam inserviunt.

Splenia absque emplastris, simplici fascia contenta adhibentur etiam modo sicca, calore, vel fumo imbuta, modo etiam liquoribus roborantibus, adstringentibus, refrigerantibus etc. pro varia morbi curandi natura.

Hinc spleniorum figura et magnitudo ut et emplastrorum varia pro variis partibus accommodanda.

Singula vero quae ad medicationem partis usurpata fuerunt a *fasciis* continenda sunt.

Haec de fasciis Chirurgiae magni momenti pars utpote quae peculiari exercitio indiget ab altero Professore traditur; nonnulla tamen Chirurgiae tyronibus in primis necessaria perstringimus.

1.° Fasciae, cujus usus latissimus in Chirurgia facienda, parantur ex linteamine mundo paululum detrito, sed tamen adhuc robusto.

2.° Convenientem longitudinem et latitudinem habere debent ut commodiorem et firmiorem deligationem efficiant.

3.° Absint in illis fimbriae et suturae quantum fieri potest, ne inaequabilis, partique laesae molesta fiat deligatio.

Fasciae aliae sunt *communes*, aliae *propriae*; priores omni corporis parte adhiberi queunt; alterae vero nonnisi certis partibus vel morbis conveniunt.

Communes dicuntur praeterea *simplices* vel unius capitis quae ab alterutra sui parte conglomerantur; *Compositae* vel duplicis capitis quae utrinque convolutae sunt.

Propriae vero aliae ad caput spectant; aliae ad truncum; aliae ad extremitates.

Hae iterum dividuntur in *extemporaneas* quae ab experto Chirurgo illico conficiuntur; et in *artefactas* quae juxta Chirurgi praescriptum ab artificibus praeparantur.

Praeter artefactas fascias, peculiaribus artificibus Chirurgia *machinamenta* plus minus complicata ad corporis monstruositates, et vitia emendanda

fabricationem committit ut bracheria ad hernias, machinamenta ad pedes obtortos corrigendos, instrumenta ad varias Chirurgiae operationes etc.

Compressio lenis et moderata in fibras, et textus machinae humanae agens, seu vestibus, seu idoneis fasciis, seu machinamentis facta, ad varios inservit usus, viscerum et humorum praepedit exitum, solidorum nimiae laxitati opitulatur, vasa absorbentia incitat, viscera ipsa roborat.

Instrumenta alia sunt *portatilia* seu *communia*, et frequentissimi usus in medicationibus chirurgicis; alia *propria* quae nonnisi certis statisque operationibus sunt necessaria, quaeque ab altero Professore demonstrata, et in usum clinicum usurpata plenius cognoscetis.

Instrumenta portatilia, seu communia quibus Chirurgiae alumni, jam a primo in Nosodochia ingressu indigent, quae ob id portatilia vocari solent, et peculiari capsula includuntur, sunt:

1.º Specilla pro explorandis vulnerum et ulcerum viis.

2.º Specillum sulcatum sive conductor, ex eo quod inservit ad scalpelli aut forficis aciem dirigendam in sinubus fistulisque incidendis.

3.º Spatha, cujus usus varius est, sive ad emplastra et unguenta extendenda, sive ad oris affectus, eadem deprimendo linguam, investigandos.

4.º Lanceolae quarum aliae apice olivari, aliae

hordeiformi sunt necessariae; et peculiari etiam metallica thaeca conservantur quae pro venae sectione adhibentur.

5.° Forfices, quorum unus communis variis usibus accommodatus.

= Alter tersus in morborum curationibus utilis.

6.° Volsella denticulata quibus utimur in detrahendis a vulnere atque ulcere linamentis atque emplastris; nec non festucis, atque aliis rebus extrahendis.

7.° Scalpellum rectum.

8.° Scalpellum curvum.

CAPUT IV.

DE PRÆSIDIIS THERAPEUTICIS A CHIRURGIA AUXILIARIA DESUMTIS.

Ad Chirurgiam auxiliariam pertinent praesidia, quae a phlebotomia, vel a Chirurgia minori, ut ajunt Itali, petuntur; et quae habentur a variis hominibus alicui speciali Chirurgiae aut physices parti addictis (1); priora prout aliquid detrahunt, vel

---

(1) Ad hos referuntur:

Qui oculorum: qui dentium morbis: qui capitis tineae medentur: qui pedis clavos exsecant: qui bracheria aliaque machinamenta chirurgica conficiunt: qui unicam phlebo-

addunt dividi commode possunt: de hisce, prout praesidia sunt, quae a tyronibus Chirurgiam ineuntibus jam praestari debent, quaeque expeditiorem manum in rebus majoribus sunt redditura, nonnulla dicemus:

Sanguis detrahitur vel venae sectione: vel scarificatione cruenta: vel sanguisugio: vel arteriotomia.

Venae sectio ab ipsis Chirurgiae tyronibus quotidie instituta, est vetustissimum et utilissimum praesidium modo prophylacticum modo curativum ad internos externosque morbos. Multiplices enim profluunt effectus ex venae sectione: minuitur moles et resistentia humorum ad vasa: frangitur cordis stimulus, et sanguinis impetus: imminuitur tensio vasorum nervorumque vicinorum: attenuatur sanguis: derivatur a remotioribus partibus: hinc venae sectio modo *evacuativa*, modo *derivatoria*, modo *revulsoria* dicitur.

---

tomiam, *phlebotomici*: quae obstetriciam facile cedentem, *obstetrices*, exercent: qui clysmata imponunt, pharmacopolae aut phlebotomici: qui frictiones, unctiones, aliaque praestant auxilia, vix studio aut arte indigentia in eadem praestantibus: qui medicationes, deligationes simpliciores faciunt ut Chirurgiae alumni: qui electricitatem, galvanismum, administrant non Medici semper aut Chirurgi, sed ipsi interdum Physices Professores: qui denique vaccinam inserunt inter quos Medici etiam sunt recensendi.

Prae reliquis opportunae habentur venae secandae:

Capitis: frontalis, angularis, ranina.

Colli: jugularis externa, colli media.

Brachii: cephalica, basilica, mediana.

Manus: salvatella, cephalicae ramus.

Membri virilis: vena dorsalis.

Surae: suralis.

Pedis: saphena interna, saphena externa.

In omni venae sectione attendendum est:

Ad apparatum necessarium: ad situm aegroti, et ministri commodum: ad electionem opportunae venae: ad applicationem fasciae cohibiturae sanguinis circuitum per venam incidendam: ad incisionem ipsam: ad sanguinis eductionem: ad debitam vulneris deligationem.

In regulis et praeceptis tradendis circa venae sectiones non immorabimur, utpote quae faciliori negotio ipsa praxi discunt Chirurgiae alumni; neque noxas singillatim expendemus quae in venae sectionibus occurrere possunt, quum ipsae ad locales morbos pertineant de quibus alio loco erit dicendum; easdem tamen alumnorum commoditatis ergo subjungere liceat: sunt autem *ecchimosis*: *laesio arteriae*: *nervi*: *tendinis*: *periostei*: *ossis*: *vasis lymphatici*: *frustulum lanceolae vulnere relictum*: *phlegmone*: *inflammatio interna venae*: *miasma immunda lanceola insitum*: *syncope*: ex quibus patet inter noxas

allatas, alias vitio operantis ministri esse tribuendas; alias absque ipsius culpa accidere posse.

Scarificatio post *cucurbitae* primam applicationem instituitur; etenim per accensum inflammabile corpus rarefacto aëre in cucurbita contento, eaque applicata, ope aëris extus prementis distenduntur a sanguine vasa capillaria cutanea; semota cucurbita, tribus aut quatuor incisionibus in ipsa cutis textura factis, et iterum admota cucurbita a scarificatis locis sanguis extillat. Insignem usum praestant cucurbitae, seu *incruentae*, seu *scarificatae*, dummodo in vicinitate loci adfecti admoveantur.

Sanguisugium est sanguinis eductio ex vasculis cutaneis per hirudinum adplicatarum suctionem. Hirudo non nisi sanguine saturata decidit, illud enim verissimum *non missura cutem, nisi plena cruoris hirudo*. Dudum ano vasis hemorrhoidalibus potissimum applicabantur hirudines, nunc in usum generalem vocantur, et vix est corporis pars cui interdum non applicentur.

Arteriotomia est incisio ramusculi arteriae opportunae ut temporalis, pro mittendo sanguine instituta, cujus effectus gradu, caeteris paribus, majores sunt iis, quos venae sectionibus tribuimus.

Ea tantum opportuna est arteria, a qua detracta debita sanguinis quantitate, sanguinis fluxus per compressionem facile sisti potest.

Educuntur lympha, vel alii humores vescicantibus, parvis lanceolae scarificationibus, vel acupunctione fonticulo, setaceo, lactisugio.

Vescicatorium est medicamentum alicui exteriori corporis parti applicatum, quod acrimonia sua peculiari humorum affluxum ibi advocat, et cuticulam subjectam in vesciculas elevare valet plus minus cito prout, vel *pasta fortis*, vel *ceratum epispasticum* adhibetur.

Hinc multiplex et praestantissima *vescicantium* virtus: *excitans*: *sedans*: *derivans*: *evacuans*.

Cortex mezerei vi analoga vescicatoria gaudet; recens efficacior; siccatus et aceto mollitus, et idoneae corporis superficiei impositus, semelque de die renovatus, excoriationem cutis, et serosolymphaticum stillicidium inducit.

Aliae adhuc adsunt vescicantium species: *acetica* et *ammoniacalis*: quando nempe orbiculum panni lanei, vel serici ad datum tempus immersum tenetur in acido acetico, vel in spiritu salis ammoniaci, dein applicatur ut caetera vescicantia: hac postrema specie, quando atonia adest nervosa utuntur Angli Medici.

In quibusdam asphyxiae aut apoplexiae casibus gravissimis, urgente periculo, aqua fervens, aut ignis *objectivus* per candelam accensam in usum vocari etiam utiliter possunt.

Scarificationes exiguae, vel *acupunctiones* interdum instituuntur ad serum educendum in ae-

demate, et leucophlegmatia, quando nempe serum tanta copia partes distendit, ut per nimiam distentionem textuum disruptio sit pertimescenda. Scarificationes etiamsi exiguae inflammationis periculo non vacant, hinc nuperrime exilissima *acu ordinaria*, vel *aurea*, *acupunctiones* sunt qui prae incisionibus commendarunt.

Aliud acupunctionis genus considerandum venit nostris hisce temporibus, quod in doloribus nerveis potissimum tollendis aut sedandis proponitur: *acus chalybea* apice exilissima intra partes dolore correptas immittitur, ibique ad horae quadrantem, vel etiam ad dimidiam horam relinquitur, per quam peculiare fluidum, electricum fortasse, subtrahitur a parte, et dolores auferuntur aut sedantur ut ex multiplicibus experimentis, inter caeteros, Doctoris Cloquet nuperrime comprobatum fuit. Hinc *acupunctio electrica* etiam dicta fuit.

Fonticulus est ulcus simplex superficiale tegumentis communibus in loco opportuno inductum vel *incisione*, aut *vescicatorio*, aut *medicamento caustico*, aut denique *cauterio*.

Incisio expeditissimus est fonticulum constituendi modus. Locus cutis idoneus respondens interstitiis musculorum selectus plicatur, et cultro chirurgico dividitur ita ut fiat vulnus pisi, aut globi cerae ejusdem voluminis capax; atque corporis peregrini in vulnere immissi ope, vulnus in ulcus artificiale mutatur.

Vescicatorio instituitur, ad cutim excoriatam parvum globulum irritantem vel durum apprimendo ope fasciae arctius circumstrictae, ibique cutis suppuratione soluta ulcus offert haemisphericum ad fonticulum idoneum.

Medicamento caustico excitatur fonticulus, dum lapis infernalis, potassa caustica, vel aliud causticum per emplastrum perforatum cuti humectatae nudae imponitur, et alio emplastro adhaesivo superius tegitur. Eschara horae spatio formata in cute, fovetur remedio pingui, emolliente, donec soluta ulcus sistat pro recipiendo globulo commodum.

Cauterio denique excitatur fonticulus si ope *ferri candentis* aut moxae ex fungo ignario, vel filo cannabino, vel gossipino coni instar parati lenta combustione eschara ad convenientem magnitudinem et profunditatem caute instituitur, quae emollita et soluta ulcus relinquit idoneum.

Effectus fonticuli sunt infllammatio, suppuratio, adeoque jugis et moderata humoris purulenti evacuatio: modica irritatio, et limphae e partibus vicinis derivatio. Difficilius suppuratio sustinetur in subjectis macilentibus quam in pinguedinosis.

Saetaceum est ulcus sinuosum artificiale per cellulosum textum duplici orificio externo praeditum, quod fit acum trajiciendo filis gossipinis munitam in canali ulcerario relinquendis.

Lactisugium est artificialis extractio lactis ab ipsa muliere facta per antliam lactisugam, qua opus est quotiescumque per depressam, aut laesam papillam lac e mammis naturali suctione educi nequit.

Auxiliaria Chirurgia alia praeterea suppeditat praesidia, a quibus non detrahuntur humores, immo potius aliquid additur corpori: ad haec spectant *frictiones*, *unctiones*, *fotus*, *cataplasmata*, *balnea*, *suffitus*, *electricitas*, *galvanismus*, *magnetismus*, *vaccinae insitio*.

Frictio est antiquissima, simplicissima, ac efficacissima veteribus celebris, a recentioribus neglecta nimis externa medendi ratio, quae manu armata panno aspero, calido, remediis aromaticis imbuto, stimulantibus, aliisve ad variam indicationem respondentibus, vel etiam nuda ad conspicuum usque partis fricatae ruborem instituitur et continuatur; cujus ope circuitus sanguinis acceleratur; irritabilitas augetur; nervi ad suas functiones incitantur; transpiratio insensilis promovetur; humores stagnantes et effusi discutiuntur; verbo ad fibrarum cohaesionem et resistentiam firmandam valere frictionem per se patet.

Unctio est perfrictio lenis, superficiei cutaneae medicamento externo oleoso, vel adiposo, manu vel nuda, vel chirothaeca obducta administranda.

Pro varia materie unctoria varii sortiuntur effectus; qui modo locales sunt ut ex unctionibus

oleorum variae speciei, modo universales ut ex unctionibus ex variis mercurialibus, aliisque medicatis unguentis.

Fotus est liquor aquosus, mucilaginosus, tepidus, beneficio lintei, spongiae, vel vescicae liquore plenae externe ad corpus applicatus. Paratur liquor ut saepe ex infusis aut incoctis herbis aqua aut vino; hinc pro varia liquoris natura vel *emolliens*, vel *resolvens*, vel *roborans* est.

Fotus autem *vaporosus* quando liquor ex variis decoctis paratus ad tantum calorem perducitur ut vaporem emittat, qui infundibulo, vel stragulo coercitus ad aliquam corporis partem dirigitur, vel aperto ore hauritur.

Vapores animales quando dissecta calida animalia partibus applicantur, vel artus in vix enecati animalis ventrem immittitur.

Fotus, vel *fomentum siccum* quum ex fumo accensae substantiae medicamentosae ambiens aër imbuitur, calescit et ad affectam partem dirigitur, vel panni linei, aut lanei imbuti admoventur. Huc pertinent sacculi calidi arenae, furfuris, cinerum pleni, et later calidus panno lineo involutus.

Cataplasma est medicamentum externum sub consistentia pultis tepide partibus affectis applicandum.

Paratur coctione vegetabilium, radicum, herbarum, seminum, florum, fructuum concisorum

aut contusorum cum aqua vel lacte, et aliqua farina ad pultis consistentiam coctorum.

Gradus caloris ad fotum et cataplasma nunquam tantus sit ut aegroto ingratus, aut molestus evadat; vel nudae cuti, aut linteo involutum applicatur; prior majori vi gaudet, posterior ob majorem munditiem magis placet.

Quoad balnea de quibus in hygeine jam dictum fuit, remanet hic animadvertendum haud minores esse therapeuticos eorumdem usus. Ad quae spectant *balneum universale* et *balneum locale* sive *frigidum*, sive *subfrigidum*, sive *subcalidum*.

Balneum aquosum universale frigidum variis modis instituitur: vel subito super corpus nudatum effunditur, vel aquae cribro decussae in corpus depluendi copia datur; aut corpus in aquam mergitur dummodo aquae in corpus actio subita sit, et momentanea.

Ad *balnea aquosa localia* pertinent *stillicidium* quo guttae aqueae juges per epistomium ductae ex certa altitudine in partem corporis cadunt; *capitiluvium*; *oculi balneum*; *pediluvium*; *maniluvium*; *embrocationes frigidae* vocantur. Aqua frigida, aut dulci, pura, fontana, fluviatili, aut marina, aut medicata, martiali, saponacea, sulfurata, spirituosa, salina, aluminosa, utimur. Aër frigidus, arena, humus, ad balnei speciem quoque inserviunt.

Ad *balneum frigidum* aqua non debet excedere gradum 12.um thermometri Fharenheit supra congelationem;

Ad *subfrigidum* aqua debet esse inter duodecimum et vigesimum quintum.

Balnei frigidi universalis effectus sunt ratione frigoris, pressionis et concussionis, et duo stadia offerunt; primum in quo ob subitum frigus aeger pallet, tremit, contrahitur, et cutis fit anserina, quod est brevissimae durationis; mox enim ad externam cutem redeunt calor et rubor naturalibus majores, fluida etenim intus condensata iterum expanduntur, solida a frigore constricta laxantur, iisque nova energia accedit.

Balnei frigidi localis effectus sunt vi composita frigoris nempe, velocitatis, et impulsus; et actio proditur eximia modo antiphlogistica, modo roborans, modo sedans, resolvens pro variis hominis vitae adjunctis.

Aquas medicatas varie augere vel mutare posse vires per se patet. Inter hasce laudanda:

Fomentatio schmuckeriana ex aqua frigida pura, lib. XL. acet. ex vin. lib. IV., salis ammon. unc. IV., nitri depur. unc. I. composita.

Balneum subcalidum eadem ratione divisum in *universale* et *partiale*, in *simplex* et *medicatum*, illud est, cujus temperies est intra 25.um et 35.um gradum.

Quando sedente aegro liquor tantum ad umbilicum pertingit *semicupium* dicitur.

Effectus balnei subcalidi sunt: cutem humectat, emollit, relaxat, mundat: arteriarum pulsus, et humorum ad cutim circuitum citatiorem reddit: excretiones cutaneas adauget: absorbetur aquae portio, humores diluens, acrimoniam obtundens, spasmos cutaneos solvens etc.

Balneum vaporosum est irroratio denudati corporis a vapore aquoso tepido ad corporis superficiem arte derivato, quod aeque ac balnea *universale* est vel *locale* prout maxima corporis superficies simul vapori exponitur, vel ad partem singularem determinatam vapor dirigitur.

Balneo vaporoso parando inserviunt liquores quibus fotus conficiuntur ope ignis in vapores soluti.

Duplex est administrandi modus: aut aeger vaporario includitur, quod bene clausum repletur vaporibus tepidis collectis et surgentibus per tubum vaporarii fundum penetrantem ex aqua bullienti, thermali calida, aut calefacta ab extinctione ferri candentis in eamdem immissi: aut corpus ægroti totum præter caput committitur sellae sudatoriae, qui ultimus modus priori, jure præfertur.

Effectus balnei vaporosi similes omnino sunt iis quos in balnei subcalidi pertractatione monuimus; gradu tamen his superiores sunt, proinde tempus commorationis a sex minutis incipiendo vix unquam ad dimidiam horam protrahatur,

Balneum vaporosum locale vario modo ad singulas quasque corporis partes admoveri potest immissione membri in receptaculum vapore repletum, in animalia nuper mactata, vaporis calidi exceptione insessu, inspiratione ope infundibuli pro varia opportunitate (vide *fotus*, *vapores*).

Suffitus, vel *universales*, vel *partiales* eadem ratione administrantur, ac balnea vaporosa ; et fiunt ex fumo combustæ substantiae medicamentosae quo imbuitur aër, vel cubiculi, vel sellæ suffitus: machinae quaedam nostris temporibus maximo in usu sunt potissimum ad suffitus sulphureos in affectionibus scabiosis, quorum effectus probatissimi sunt.

Quoad partiales consulatur *fotus*, vel *fomentum siccum*.

Electrizatio est ea physices operatio ob quam electricitas in corpus humanum dirigitur contra morbos ab atonia progenitos, hinc inter remedia chirurgica externa numeratur.

Duplex electricitas : *positiva* quae per vitri politi frictionem obtinetur ; *negativa* quae resinae ope ; hinc etiam *vitrea* et *resinosa* dicta electricitas a neotericis.

Apparatum pro electrizatione constituunt res variae et machina electrica omnibus notissima.

Electricitate excitata, æger vel scabello insulato collocatur cum electrica machina communicans, vel directoribus variis per minores, vel majores scintillas electricitas ei propagatur, vel

denique per commotiones; quae tamen ad partem adfectam limitari debent.

Effectus electricitatis quamvis varii pro electricitatis gradu, pro varia sensibilitate et irritabilitate subjecti, aliisque adjunctis, generaliter tamen ab ea, motus sanguinis notabiliter augetur et pulsus arteriarum ad sextam circiter partem increscunt: calor animalis augetur; irritabilitas musculorum incitatur: fluida expanduntur, èt inde plethora apparens inducitur, et interdum narium haemorragia supervenit: transpiratio, secretiones caeterae augentur, restituuntur.

Galvanismus aut electricitas galvanica ab auctore Galvani ita vocatur electricitas, quae evolvitur ab alternis metallicis discis alii aliis superpositis absque frictionis ope, pilam Voltae aut Galvani constituentibus.

Effectus electricitatis galvanicae a pila dicta excitati, in corpore humano, omnino analogi sunt iis qui habentur ab electricitate ordinaria; quum vero per commotiones quasi continuas similes commotioni electricae communicetur, hinc merito galvanismus utpote electricitatis gradus major habetur, quamvis a majori, vel minori metallicorum discorum numero, electricarum commotionum moderatur energia pro varia opportunitate.

Magnetis vires ad corpus animale vivum admotae in idem influere posse negari nequit, dum multa exempla sparsa leguntur testantia ejus salutares effectus in variis morbis, indolis nervosae potissimum. Magnes polo ejus septentrionali affectae corporis parti obverso tenendus: hoc modo nevralgias illico sedatas, et odontalgias nervosas sanatas fuisse testantur, ut ego, cordati Clinici.

Caeterum *magnetismus animalis* jam olim laudatus, deinde oblitus, multa ostentatione iterum elevatus, solido fundamento, et ingenuae rationis principiis destituitur.

Ad auxiliariam denique Chirurgiam non immerito hic referenda *vaccinae insitio.* Simplicissima haec est operatio, quae a Medicis, Chirurgis, Chirurgiae alumnis, ipsisque phlebotomicis instituitur; ad quam abrepto sinistra manu vaccinandi brachio, digitisque pollice et indice ipsius manus extensis integumentis, pollice indice et medio alterius apex opportunae acus, vel lanceolae humore vaccino illitus subtus epidermidem intruditur horizontaliter ad lineae profunditatem absque sanguinis effusione in externa brachii parte subtus musculi deltoides inferius extremum. Quae spectant originem hujusce inventi; cautelas in delectu puris inserendi; ætatem vaccinandi; opportuniorem tempestatem; infirmitates insertionem prohibentes, verbis satius interpretabuntur.

CAPUT V.

DE MEDICAMENTIS IN UNIVERSUM.

Medicamentum est quidquid ad invaletudinis, vel morbi curationem haud mechanico modo confert praeter hygienica praesidia. Medicamenta igitur suppeditat universum naturae imperium.

Medicamentorum, et alimentorum id praecipuum est discrimen, quod illa mutant, haec servant vitae virium rationem: in hoc tamen discrimine aliquid finitimi est medicamentis, et alimentis, adeo ut quaedam mutandi, servandique vitae vires utrisque sit adscribenda virtus. Verisimillimum est medicamenta alia praesertim immutare fluida, alia autem praesertim solida. Quod praesertim humores immutare valet medicamentum, magis est alimenti affine, quam quod immutandi vitales vires praecipua virtute pollet.

Medicamentum triplex est, videlicet, *simplex*, *praeparatum*, et *compositum*: *simplex* est illud, quod ex una, et simplici naturali substantia desumitur absque ulla elaboratione; *praeparatum* dicitur medicamentum simplex arte alteratum, hoc est ad usum medicum aptatum; *compositum* vero vocatur, quod ex pluribus simplicibus, vel praeparatis substantiis simul mixtis conficitur.

Internum insuper dicitur medicamentum, si ore

assumitur, et in ventriculum deducitur; *externum*, si alicui externae parti apponitur; inter utrumque sunt medicamina, quae in corporis superficiei patentia ostia introducuntur.

Universale remedium vocant Therapeutae, quod ad universum corpus suam propagat actionem, quodque sive internum, sive externum esse potest; *topicum* (1), quod suam tantum exerit actionem in parte, cui admovetur.

Pharmaceutica aut *chemica* vocantur medicamenta, aut remedia, quae in pharmacopolarum officinis de more parantur, atque servantur; *domestica*, quae domi facili negotio parantur; *extemporanea*, quae brevi ubique parari possunt, sive ex simplicibus, sive ex praeparatis conficiantur.

Alia insuper sunt tam internorum, quam externorum medicaminum nomina a materiei medicae scriptoribus recepta, quibus etiamsi designatae virtutes non semper respondeant, horum tamen remediorum nomina, et significationes utpote tyronibus utilia, siquidem passim apud Auctores usitata inveniuntur, *alphabetico* ordine trademus: et ita medicamenta investigabimus:

1.° Quoad vim illa spectant usitatis nominibus designatam.

---

(1) Τοπικὸς localis.

2.º Quoad verisimiliorem agendi rationem.

3.º Quoad materiem a triplici naturae regno petitam.

4.º Quoad artem concinnandi medicamentorum formulas.

5.º Quoad praecipuas operationes et praeparationes pharmaceuticas.

6.º Quoad acceptiorem praecipuarum chemicarum praeparationum nomenelationem.

8.º Quoad denique medicamentorum dispositionem in ordines ad usum practicum conducibiliores.

SECTIO PRIMA

De usitatis medicamentorum nominibus.

Absorbentia dicuntur medicamenta, quae absorbendi facultate pollent.

Adstringentia, quae solidarum partium cohaesionem adaugere valent.

Acustica (1) dicuntur remedia, seu medicamenta, quae auditus morbis opitulantur.

Agglutinantia, *cicatrizantia*, epulotica (2), quae

---

(1) Acustica ab ἀκουστικὸς, ad auditum pertinens.

(2) Epuloticum ἐπουλωτικὸν ex ἐπὶ supra, et οὐλόω ad cicatricem perduco.

partes praeter naturam sejunctas coagmentare, et ad cicatricem perducere valent.

Alexipharmaca (1), seu alexiteria (2), seu antidota (3), quae venenis corrigendis, aut expellendis per cutis spiracula, aut quomodocumque inservire creduntur.

Alviduca, quae naturales alvi dejectiones promovent.

Anamnestica (4), quae memoriam revocare, et adaugere dicuntur.

Anthelminthica (5), quae vermes enecant, et expellunt.

Aphrodisiaca (6), quae venereum aestrum excitare; et antiphrodisiaca, quae ad ipsum coërcendum valent.

Anodyna (7) sunt, quae dolores tollunt, aut sedant. Hinc paregorica (8), quae demulcendo,

---

(1) Alexipharmacum ἀλεξιφάρμακον ex ἀλέξω arceo, propulso, et φάρμακον venenum.

(2) Alexiteria ἀλεξητήρια ex ἀλέξω propulso: quasi propulsantia venenum.

(3) Antidotum ἀντίδοτον ex ἀντὶ contra, et δίδωμι do, sumitur praecipue pro remedio, quod datur contra venenum.

(4) Anamnestica a verbo ἀναμιμνήσκω recordari facio.

(5) Anthelminthica ex ἀντὶ contra, et ἕλμινθες lumbrici.

(6) Aphrodisiaca ex ἀφροδίτη Venus.

(7) Anodina ex α particula privativa, et ὀδύνη dolor.

(8) Paregorica a παρηγορέω consolor.

leniendo; somnifera, vel hypnotica (1), quae somnum conciliando; narcotica (2), quae torporem, soporem inducendo talia praestant.

Antacida, quae acidos humores chemico modo corrigunt.

Antacria, quae acrimoniam tollunt.

Antifebrilia, quae febri; antihectica, quae febri hecticae opitulantur.

Antihysterica, quae hystericas, et hypochondriacas passiones profligant.

Antiphlogistica, quae imflammatorios morbos juvant.

Antiscorbutica, quae scorbuto auxiliantur.

Antiseptica (3), quae putrefacta corrigunt.

Antispasmodica, quae spasmodicos affectus fugant.

Antisyphilitica, quae syphiliticum virus corrigunt, aut expellunt.

Aperientia, quae obstructos, ut ajunt, meatus aperiunt; hoc est secretiones, et excretiones imminutas revocant, liberioremque humorum circuitum reddunt.

---

(1) Hypnotica ab ὕπνος somnus.

(2) Narcotica ex verbo ναρκάω torpeo.

(3) Antiseptica ex ἀντὶ σήπω putrefacio, unde συπτικὸς putridus.

Aristolochica (1), quae lochia provocare valent.

Attenuantia, quae fluidarum partium cohaesionem imminuere credita sunt.

Balsamica, quae corpori quid balsamici tribuunt.

Becchica a βής, βεχὸς tussis, quae tussi opitulantur.

Calefacentia, quae calorem corpori tribuere credita sunt.

Cardiaca appellantur, quae cordis languentes vires excitant.

Carminativa ex latino verbo carminare dicta, italice *scardassare*: sensu vero translato carminativa remedia dicuntur, quae molestos flatus excutiunt, expellunt.

Cathaeretica, quae nudam carnem, seu putridam, seu excrescentem absumere valent.

Cathartica, remedia purgativa. Καταρθικὸς enim latine vertitur purgandi vim habens.

Caustica (2), quae partes humani corporis vivas adurere, aut destruere sunt apta, quorum quae chemica ratione et lente agunt *potentialia*, quae per calorici intensitatem et prompte *actualia* dicuntur.

---

(1) Aristolochica ex ἄριστος optimus, et λοχὸς puerpera, quia puerperis optime opitulantur earum expurgationes promovendo.

(2) Causticus a καίω uro, incendo.

Cephalica, quae capitis morbis occurrunt.

Chologoga (1), quae bilis secretionem, et excretionem promovent, nominantur.

Coagulantia, quae partes fluidas cogunt.

Controstimulantia, quae actionem exerunt contrariam stimulantibus, hinc etiam sedantia, torpentia dicuntur.

Consolidantia, quae reviviscentibus partibus ulcerosis soliditatem, ac cohaesionem impertiuntur.

Coriaria quaedam externa remedia, quae ceu principio *tannin, conciante* scatentia, valent partes corii instar cogere, atque indurare.

Demulcentia. Vid. Anod.

Deobstruentia, quae ad obstructiones tollendas conveniunt.

Depurgantia, quae ad impura e corpore eliminanda valent.

Diaphoretica, quae cutaneam perspirationem promovent; sudorifica vero, si sudorem.

Digerentia, vel digestiva sunt externa medicamina, quae ulceribus applicita favent bonae puris productioni.

Diluentia, quae aquosi fluidi accessione sanguinis fluiditatem adaugent.

Diuretica, quae urinae secretionem, et excretionem promovent.

---

(1) Chologoga ex χολὴ bilis, et ἄγο duco, educo.

Discutientia, quae textuum durities vitae vires incitando discutiunt, et earum resolutionem, aut suppurationem promovent.

Drastica, a δραστικὸς actuosus, dicuntur remedia purgantia admodum actuosa.

Ecbolica, ab ἐκβάλλω ejicio, generatim dicuntur remedia, quae quascumque ejectiones promovent, sed ab Hippocrate speciatim, quae foetus exitum.

Eccoprotica, quae alvi excretionem leniter promovent; siquidem verbum graecum ἀκκοπρίζσ significat alvi faeces depono.

Emmenagoga, quae menstruum fluxum provocant: ἔμμενα enim idem valent, ac catamenia, et ἄγω duco. Remedia igitur emmenagoga dicuntur, quae catamenia, menstruas nempe expurgationes ducunt, promovent.

Emollientia dicuntur, quae humiditate, atque tepore solidum vivum laxant.

Epicratica remedia idem sonant, ac attemperantia: ἐπικρατικὸν enim proprie significat attemperandi vim habens. Sed epicraticae praecipue dicuntur curationes paullatim institutae, nec non remedia paullatim, et per intervallum exhibita (1).

Epispastica (2), seu vesicatoria, quae serum e

---

(1) Vid. Galen. de methodo medendi lib. IX. cap. 10. et Dioscor. lib. 2. cap. 53.

(2) Epispastica ex ἐπὶ super, et σπάω traho. Hinc remedia supertrahentia, attrahentia.

partibus, quibus applicantur, in vesicam epidermoïdeam attrahunt.

Errhina (2), quae sternutationis ope narium mucos cient; dicuntur etiam ptarmica (3).

Escharotica (4), quae corrosivam vim supra solidas viventis humani corporis partes exercent, ibique crustam, escharam inducunt.

Exanthematica, quae cutaneas efflorescentias, seu eruptiones promovent.

Expectorantia, quae muci secretionem, et excretionem e bronchiis, atque pulmonibus adjuvant.

Exsiccantia, quae humidas partes reddunt siccas.

Galactophora, quae lactis secretioni adaugendae inserviunt. Dicta ex γάλα lac, et φέρω fero.

Hepatica, quae hepatis; nephritica, quae renum; odontalgica, quae dentium; pectoralia, quae pectoris; stomachica, quae ventriculi; uterina, quae uteri; nervina, quae nervorum; ophthalmica, quae oculorum morbos adjuvant.

Hydragoga ex ὕδωρ aqua, et ἄγω duco sunt medicamenta purgantia, quae aquam, serum ex intestinis per alvum educunt.

---

(1) Errhina ab ἐκ, et ῥίνες nares. Quasi mucos ex naribus educentia remedia.

(2) Ptarmica ex πταρμὸς sternutatio.

(3) Escharoticum ἐσχαρωτικὸν medicamentum incrustativum: crusta enim graece vertitur ἐσχάρα.

Inviscantia, quae sua viscosa qualitate partes oblinire valent.

Lactifuga, quae lactem e mammis depellunt alvum ducendo, nec non secretiones, et excretiones alias promovendo.

Lithonthryptica (1), quae ad calculos, et calcares concretiones solvendas valere credita sunt.

Maturantia, quae in tumoribus puris generationi, ac perfectioni favent.

Melanagoga, ex μέλας ater, et ἄγω duco, educo, expello. Quasi remedia, quae expellunt atros humores, nempe atram bilem.

Mundificantia, quae ulceribus sordidis prosunt, validius excitando vitales proprietates, ubrioresque suppurationes promovendo, et sic malas carnes destruendo.

Nervina, quae nervorum languentes vires excitare valent.

Obstipantia, quae alvum coërcent, obstipant.

Phlegmagoga (2), quae pituitae excretionem sollicitant.

Phthiriaca, a φθεὶρ pediculus, sunt medicamenta, quae pediculos enecant.

---

(1) Lithonthryptica ex λίθος calculus, et θρύπτω frango, solvo.

(2) Phlegmagoga ex φλέγμα pituita, et ἄγω educo.

Refrigerantia, quae corpori refrigerium impertiuntur.

Repellentia, repercutientia, reprimentia, quae humores ab exterioribus ad interiora propellunt, solida corrugando, adstringendo.

Resolventia, quae tumorum resolutioni favent.

Roborantia, quae corpus firmant, deperditasque vires reficiunt.

Rubefacientia, quae in cute levem inflammationem excitant, proinde ruborem.

Sarcotica (1), quae carnis regenerationi, ejus consolidationi, et cicatrici inducendae favent.

Sialagoga dicuntur remedia, quae salivam provocant. Sic dicta ex σίαλον saliva, et ἄγω educo.

Sistentia, vel styptica (2), quae adauctas excretiones aut imminuunt, aut sistunt.

Tonica, a τόνος tensio, sunt, quae universae constitutioni, vel alicui tantum parti vitalem tensionem, nempe robur producunt, firmant, adaugent.

Vomitoria, seu emetica (3), quae vomitum provocant, motum peristalticum invertendo.

---

(1) Sarcoticus a σάρξ, σαρκὸς caro, carnis.

(2) Stypticus στυπτικὸς, a στύφω adstringo, idem sonat ac habens vim adstringendi.

(3) Emetica ex ἔμετος vomitus.

De Medicamentorum verisimiliori agendi ratione.

Jam supra monuimus nomina, quorum tabulam praebuimus, quamvis adhuc a materiei medicae Scriptoribus recepta, non semper designatis virtutibus respondere; remanet ergo ut de medicamentorum verisimiliori agendi ratione juxta recentiores physiologiae leges dicamus.

Quidquid corpori humano vivo applicatum, illud ita mutat, ut morbi vel arceantur, vel debellentur, *medicamentum* dicitur.

Agunt medicamenta vel in solidas, vel in fluidas partes humani corporis, vel in utrasque simul.

Quae in solidas partes agunt, vel quamdam mutationem earumdem texturae inducunt, vel motus ipsarum solidarum partium alterant.

Quae in fluidas partes agunt vel vitiatam earumdem qualitatem, et consistentiam emendant, vel ipsas e corpore educunt.

Medicamenta vel intus a vasis lymphaticis absorbentur, vel physica, mechanica et chemica ratione agunt, vel denique solo consensu, aut sympathia operantur.

Praecipuae vero sympathiae dependent: vel a *partium continuitate*; vel *contiguitate*; vel a

nervorum communicatione; vel ab *organorum identica structura*; vel *analoga functione*; vel denique a conniventia diversorum organorum *ad communem scopum* tendentium.

Medicamentorum actio primaria supra solidas partes exercetur; utpote secundarii effectus ut plurimum habendae humorum sensibiles mutationes, quas ab iis contingere videmus.

Absorberi nonnulla remedia, ideoque quamdam actionem exerere in fluida, manifestum est ex eo, quod sanguis, urina, aliique humores idem ipsum redolent, sapiunt, eodemque colore tinguntur, ac ingestae, vel applicitae quaedam substantiae medicamentosae. Ita therebentina ingesta sui generis odorem sanguini, et lotio tribuit, haud aliter asparagi; ita lac ovium, dum in alpibus istae degunt, aromaticas, quibus vescuntur, sapit herbas; ita rhabarbarum luteo colore lotium tingit; ita rubia tinctorum ruborem ossibus impertitur.

Actio remediorum in vitae vires sive directa, sive sympathica elicitur ex eo, quod istorum effectus suboriantur, antequam liceat conjicere per circuitionis vias traductam esse medicaminis materiem; directam remediorum actionem demonstrant hausta emetica, et alviduca; sympathicam declarat ammoniaca liquida naribus admota, a qua homo asphyxia correptus momento temporis excitatur, ac reviviscit; sympathicam actionem testantur etiam cardiaca remedia, a quibus in-

gestis illico restauratur, atque refocillatur universa corporis constitutio, propterea quod cordis vim erigere illa sunt potis.

Frigida, et calida remedia physicam etiam actionem exercent in solida viva; siquidem physico modo eorum compagem illa coërcent, haec laxant.

Super putridas corporis animalis plagas acida remedia chemicam exercent actionem: acida nempe se se putridis substantiis commiscentia earum ammoniacam neutram efficiunt; multimodis praeterea illas immutant, et ideo partibus vivis innoxias reddunt. Colicas a gaz acido carbonico prognatas juvat clyster ex aqua calcis paratus, utpote quae illud avidissime absorbere valet. Magnesia calcinata in ventriculum demissa ejus acidos humores neutros facit, proinde prodest cardialgiae ab acidis subortae. Hydrargyri praeparata syphiliticum virus corrigere credibile prorsus est, quin sat innotescat hucusque ratio, qua id operis contingat.

Nil demum vetat credere, complura remedia eodem tempore agere et in humores sive chemico, sive ignoto correctore modo, et in vitae vires tum directe, tum sympathice, et in physicas etiam solidarum partium proprietates.

Medicamenta coeteroquin alia prae aliis proficere systematibus diversis nunc temporis creduntur; ita ut a substantiis oxygeno scatentibus musculorum robur augeri, ab affluentibus hydrogeno

aliis sive puro, sive azoto, et carbonio commixto nerveam vim intendi, et contra a substantiis aliis illa principia efferentibus ex musculis, et nervis vitales horum proprietates remitti, nonnulli rei medicae Scriptores tradunt.

In diversa autem organa suos exerere effectus alia prae aliis medicamina res est compertissima: cantharides ad exemplum speciatim organa *urinaria* afficiunt; tartarum stibiatum, seu tartratum potassae antimoniatum, ipecacuanha ventriculum; rhabarbarum, aloës intestinalem tubum; hydrargyrum salivales glandulas, etc.

In medicamentorum virtutibus expendendis attendendum est ad ipsorum saporem, odorem, et colorem, nec negligenda est affinitas botanica. Constat etenim plantas, quae *oleoso* scatent *principio* emollientes; quae *austero* adstringentes; quæ *amaro* roborantes generatim esse: ita *fragrans odor* virtutem cardiacam, nervinam, stimulantem indicat: *odor alliaceus* diureticam, diaphoreticam: *odor hircinus* aphrodisiacam: *nauseosus* emeticam aut purgativam: *narcoticus* soporiferam: *color teter* venenosam: *sapor dulcis* relaxantem: *acris* irritantem, antiscorbuticam: *acidus* refrigerantem, antisepticam: *mucilaginosus, oleraceus, farinosus* involventem, humectantem, nutrientem: *salsus* resolventem; affinitas botanica, affines saepe promittit virtutes, ut in cichoraceis, solanaceis

exemplum est. Sed experientia et observatione magis quam cæteris criteriis fidendum.

Analysis chemica postremis hisce temporibus in subsidium venit ad medicamentorum virtutes detegendas; enim vero nonisi per principia quibus scatent in corpus humanum agere queunt.

Haec autem principia sunt:

Aqua copiosior veris tempore.

Oleum fixum.

Oleum æthereum seu *volatile* seu *essentiale* quo divites sunt plantae aromaticae.

Principium farinosum glutine vegetabili, amido, et mucilagine constans.

Mucilaginosum in plantis emollientibus abundans.

Gummosum, iisdem in plantis, aqua educendum.

Emulsivum seminibus oleosis potissimum insidens.

Melleum florum stygmatibus reperiundum.

Resinosum, stimulantibus in plantis, alkoole educendum.

Gummoresinosa aqua et alkoole seorsim educenda.

Balsamicum resinosum principium oleo volatili solutum in arboribus, sic dictis, balsamicis contentum.

Camphoratum, quod praeter laurum camphoram, plures aliae aromaticae plantae continent.

Saccharinum, quod praeter arundinem, radices et fructus dulces habent.

Amarum in amaris plantis.

Saponaceum in alkalinis.

Narcoticum in sic dictis narcoticis.

Acre in acribus.

Adstringens in adstringentibus.

Acidum cujus sunt variae species *citricum*, *malicum*, *oxalicum*, *tartarosum*, *gallicum*, *benzoicum*.

Alkalinum cujus tres habentur species *volatile* in antiscorbuticis *soda* in maritimis, *potassa* in caeteris plantis.

Principium salinum neutrum ad ex: nitrum in borragine, perietaria, fumaria; *sal marinum* in salicornia; *tartras vitriolatum* in cineribus multarum plantarum; *sal acetosellae* in planta ejusdem nominis.

Denique *principium extractivum* quod analysis chemica nuperrime a pluribus plantis jam eduxit, quodque principium peculiare, si alkalinum, acidis est salificabile, et ejusdem proprietates ac planta a qua educitur, refert: ita *atropina* quod a Brandes ab *atropa belladonna*: — *brucina*, quod a Pelletier et Caventou a cortice cujusdam angusturae: — *cinchonina*, quod a Duncan, Gomez, Houton; dein Pelletier et Caventou a pluribus corticis peruviani speciebus: — *Cytisina*, quod a Chevallier et Lassaigne a granis *cytisi laburni* L.

— *Daphnina*, quod a Vauquelin a *daphne mezereon*: — *Delphina*, quod a Lassaigne et Feneulle a *delphinio* staphysagria L.: — *Emetina*, quod a Pelletier et Magendie ab *ipecacuanha*; et a Boullay a foliis et floribus *violae odoratae* unde etiam *violina*: — *esculina*, quod ab *æsculo hipocastano* a Canzoneri: — *Gentianina*, quod ab Henry et Caventou a radice *gentianae luteae* L. — *hyoscianina*, quod a *hyosciamo nigro* L. a Brandes: — *Lupulina*, quod a cortice fructus lupuli ab Ives: — *morphina*, quod a Derosnes, Robiquet, Pelletier et Caventou ab opio: — *Narcotina*, quod ab ipso opio a Derosne: ejus acre stupefaciens principium: — *quinina*, quod a cortice peruviano luteo a Pelletier et Caventou: — *solanina*, quod a Desfosses, Chevallier, et Payen a stipite et foliis *solani dulcamara*: — *strichnina*, quod a nuce vomica a Pelletier et Caventou: — *veratrina*, quod a veratro sabadilla a Pelletier et Caventou aliaque plura educta fuere: verum exceptis *cinchonina*, *morphina*, et *strichnina* vix in usum veniunt cætera principia.

Medicamenta denique composita variam ostendunt actionem pro variis substantiis ingredientibus, quae interdum etiam pristinam deperdunt, et novam acquirunt praetiosissimam virtutem.

Ut remedia bene, appositeque, quantum nobis licet, administrentur, summopere spectanda sunt non modo morbi genus, species, differentiae, sed

aegri etiam aetas, sexus, temperamentum, idiosyncrasia, vivendi genus, consuetudines, anni tempora, aliaque complura tum corporis, tum animi adjuncta; ista enim omnia medicaminum actioni vel favent, vel refragantur. Ita ad exemplum aliud sibi vult inflammatio, aliud oedema; minus infirmantibus remediis indiget furunculus, quam phlegmone; non prorsus eamdem curationem admittunt erysipelata ab interna caussa, et ab externa prognata; adolescens quaedam respuit incitantia medicamenta, quae senescenti sunt prorsus accommodata; ita etiam ea minus foeminis, quam viris conveniunt; minus quoque sanguineo, et nervoso, quam lymphatico, et melancholico homini; nonnulli ab ingesto oleo male se habent; alii a rhabarbaro, ab opio, ab applicitis cantharidibus pessime turbantur; alii nulla hydrargyri ferunt praeparata; qui longa inedia sit infirmus, is vel a blandis remediis magnopere afficitur; cui tabacci, *thè*, *caffè* assiduus est usus, ille ab istis vix, aut nihil commovetur; sudorifica remedia minus certe congrua sunt aestivo, quam hyemali tempore; quis a gravi morbo vix convalesceret, aut mœrore afficeretur, minus quam quis antea optime valeret, aut ira incenderetur, infirmantibus remediis indigeret.

Quamvis perdifficile sit singula medicamenta juxta veriorem eorum agendi rationem in æquos ordines disponere; attamen nuperrimi materiei me-

dicae Scriptores, inter quos cl. nostum Balbis meminisse juvat, eadem dividunt prout speciatim agunt in quaedam systemata, organa; et dicuntur agentia in systema nerveum:

In organa sensuum:

In systema dermoideum:

In systema circuitus sanguinis:

In organa respirationis:

In organa digestionis:

In organa urinaria:

Denique in organa generationis.

Ad medicamentorum materiem gradum facimus, quae quum e triplici naturae regno depromatur, hinc regnum vegetabile; dein animale; postea minerale in tot classes dividimus.

SECTIO TERTIA

De medicamentorum materie.

Regnum vegetabile.

Classis I. *Herbæ et folia.*

Absynthium — amarissimi est saporis et odoris gravis. Oleo abundat æthereo et resina. Parum differt *abrotanum*, quod tamen odorem aromaticum fere camphoratum spirat. Ad fomenta et cataplasmata resolventia, roborantia conficienda adhibetur.

Priusquam de dosibus sermo sit, præmittenda sunt signa quibus medicamentorum pondera et mensurae indicantur:

Libra pharmaceutica est unciarum 12, quae decem tantum commercii aequant et ita designatur . . . . ℔

Uncia æquat octo drachmas et sic . ℥

Drachma pendet scriptulos tres et sic . ʒ

Scriptulus constat granis viginti et sic . ℈

Granum æquale habetur hordei vel frumenti grano, et ita indicatur . . . g.r

Pro rebus aridis vel liquidis sequentes habentur mensurae:

Fasciculus quantum brachio capi potest, aequat manipulos xij, et scribitur . *fasc.*

Manipulus quantum manu capitur, et æquivalet pugillis IV et scribitur . . *m.*

Pugillus quantum pollice duobusque proximis unius manus digitis prehendi potest, et scribitur . . . . *pug.*

Ad liquida spectant mensurae sequentes:

Cyathus qui sesquiunciam capit et scribitur . . . . *cyath.*

Cochleare pro sexuncia habetur et scribitur *cochl.*

Gutta quae grano, solidis, respondet et scribitur . . . . g.t

Dosis pro varia praeparatione. Ex eo paratur vinum absynthites (*vermout*). Infusio a ʒ ij ad ʒ IV pro aquae ℔ j. Tinctura a ʒ ß ad ʒ ij aliquo vehiculo. Olei essentialis a ℈ j ad ℈ ij. Extractus a ʒ ß ad ʒ j. Conserva a ʒ j ad ʒ ij.

Ab efficaciorum plantarum praeparationibus et dosibus sparsim indicatis, facilius erit de cæteris judicium ferre.

Abietis folia — balsamicum habent principium resinosum. Decocta folia in ulceribus renum et vescicae commendantur.

Acetosella — acido succo tenui abundat; cui analoga est *acetosa*, sale essentiali acido sunt refertae.

Succus in scorbuto, et in febri erysipelate bilioso comitante commendatur. Ejus sale tabellae conficiuntur in angina praestantes. Extus vero in ulceribus scorbuticis et putridis succus etiam adhibetur.

Agrimonia — subastringens et subacida est. Ad gargarismos conficiendos ejus infusum, decoctum et aqua stillatia laudantur.

Anemone, pulsatilla etiam dicta — acris planta nuper in gravissimis nevrosibus chronicis laudata.

D. Extract. a gr. j ad x. Extus ad tineam capitis cataplasmatis forma adhibetur.

Artemisia cum floribus — suavi et blande aromatico odore gaudet. Ad menstrua et lochia cienda. Mollugine bombacis instar ab ea deprompta utuntur Chinenses et Japonenses ad moxam. Virtutem sisimilem emmenagogam habet Capillus veneris.

D. Ex pug. ij fit infus. ad ℔ j. Aq. stillat. ab ℥ ij ad vj. Syrup. ab ℥ j ad iij.

Beccabunga — succo saponaceo, subacri scatet, cui virtus antiscorbutica, externo usu inflammationibus ulcera scorbutica comitantibus commendatur.

Belladonna — tota planta virulenta est, magis tamen baccae et radix quam folia in cancro mammarum et intus et extus commendata et adhibita non sine aliquo successu. Anodina virtute intensissima pollet.

D. pulvis a gr. j ad IV. Extractus a gr. ß ad ij. Tinctura a gt. ij ad xij

Betonica — sapor subsalsus, leniter aromaticus, odor tenuis. Errhina virtute pollet pulvis. Emplastrum e succo betonicae inter aptiora emplastra agglutinantia ad vulnera medenda laudatur.

Borrago — succum nitrosum continet: attenuans, temperans habetur ejus succus et decoctio, quae fit ex ℥ j in aquae ℔ j.

Calamintha — suavi odore balsamico scatet, et ad aromaticas plantas referenda.

Carduus benedictus — sapore est admodum amaro et resinosis principiis abundat. Multiplicis est usus. Sudorem movet, menses pellit. Externe ejus pulvis ulcera sordida expurgat, gangraenam sistit.

D. Extractus a ʒ ß ad j. Vin. ab ℥ j ad ij. Pulvis a ʒ ß ad j. Infusio ab ℥ ß ad j pro quaque ℔ j aquae.

Centaurium minus cum floribus — principio amaro scatet: sudorifera, stomachica, emmenagoga, antifebrilis, anthelmintica.

D. Decoctio a ʒ j ad iij pro quaque ℔ j aquae. Pulvis a ℈ j ad ʒ j. Extractus a ʒ ß ad j. Tinctura a ʒ j ad ij. Succus ab ℥ j ad ij.

Chærefolium — planta culinaria sapore acri et odore aromatico scatens. Ad tumores lacteos resolvendos commendata.

D. Succus ab ℥ ij ad IV. Aq. stillat. ab ℥ ij ad IV. Syrup. ab ℥ ß ad ij.

Chamædrys et Chamæpitis — amaro et acri sapore donatae: virtus et dosis analoga centaurio minori.

Chelidonium majus — succo turgidum est croceo, mordaci, acri, graviter olenti. Ad ulcera abstergenda: ad verrucas destruendas; ad corneae albugines.

Cicuta — inter venenatas plantas recensita, locis pinguibus, umbrosis crescens, odore quodam ingrato, nauseabundo praedita, succo acri. A vetustissimis temporibus celebrata ad externos potius usus, praesertim ad duros difficilesque tumores resolvendos. Decoctum ex foliis saturatum aqua calcis paratum, cui mercurius sublimatus corrosivus solutus sit ulcera carcinomatosa sanasse, refert Plenk. Hinc celebre in officinis est *emplastrum de cicuta.* Dein ejusdem extractum Stork integro libro adversus complures difficilesque morbos prædicavit; ab eo venit ejusdem usus in cancro, scirrho, amaurosi, paralysi etc.

D. Extract. la gr. j primo die: gr. ij secundo: gr. iij tertio: et sic sensim sensimque auctis juxta cl. Stork usque ad ℈ j et ultra, vel satius pro subjecti, adjunctorum, et effectuum varietate.

Cochlearia — celebratissima planta inter antiscorbuticas: succo scatet subacri.

D. Succus ab ℥ j ad iij. Tinct. a ℈ ß ad j. Infus. ab ℥ j ad ij in aquae fontis ℔ ij. Syrup. ab ℥ ß ad ij. Conserv. a ℈ ß ad j.

Digitalis purpurea — intenso amarore scatet, odoremque exhalat narcoticum ac nauseabundum. Quamvis ex ejus administratione nausea, vomitus, vertigo, visus offuscatio, cardialgia, pauca tamen

dosi a gr. j ad ij actionem optimam controstimulantem exerere demonstrant praecipue pulsus tardiores facti. Activam reddit absorbendi vim in vasis lymphaticis, hinc in hydrope, in hydrothorace, motis urinis, utilissima evadit. In hydropibus hyperstenicis caeterisque morbis istius naturae Itali Medici scriptores valdopere commendant. Extus contusa in strumis et in ipso schirro convenire autumant cordati Clinici. Huic suppar est *colchicum*.

Equisetum — planta adstringens et diuretica. Ad mictum cruentum laudatur, nec non in nephritide calculosa.

Erysmum — saporem acrem et fervidum habet. Ad pulmonum, et vesicae catharrum. Extus ad mammarum tumores resolvendos.

Fumaria — sapore leviter acri et amaro gaudet. In morbis omnibus a sanguinis vitiis prognatis commendatur ejus infusum in sero lactis, vel succus ad duas aut tres uncias.

Genista tinctoria — in usu est in arte tinctoria. Virtutem habet diureticam. Nuper in Moskovia ad praecavendam hydrophobiam adhibita et commendata a nostro Marochetti.

D. Decoct. ab ℥ j in aq. ℔ j. Pulv. a ʒ ß ad j ß.

Gratiola — acris, amara, et nauseosa planta, quae in humidis locis crescit. Virtute emetica et purgativa pollet; ut jalapae succedanea a nonnullis habetur.

D. Recent. fol. ʒ j ad ij. Siccator. a ʒ ß ad j in aq. font. ℥ x sive pro infus. seu decoct. Extractum a fol. et rad. parat. nonnisi a granis, et caute administrandum.

Hedera terrestris — suavi odore, subamara et subacris est. Externe succus ulceribus admotus, vel pulvis inspersus ea consolidare opinio est.

D. Infus. a pug. j ad ij pro quaque ℔ j aquae. Aq. stillat. ab ℥ ij ad IV. Syrup. ab ℥ j ad IV. Conserv. a ʒ j ad IV.

Hyosciamus — narcoticam vim suam odore suo virulento ostendit. Ejus extractum a gr. j ad x summopere fuit commendatum in mania, epilepsia, in dolorificis et convulsivis morbis praesertim, recentissimis hisce temporibus. Extus folia contrita in dolentibus haemorrhoidibus, et in tumoribus malam indolem referentibus, ipsoque carcinomate. Fumum ad dentem dolentem vulgus ex combustis seminibus adducit cum levamine prompto. Oleum hyosciami in doloribus rheumaticis expertae virtutis est.

Hyssopus — aromatico sapore et odore ab oleo æthereo quo imbuta est scatet. In affectibus pectoris celebris est. In morbis oris. Vapor auribus susceptus tinnitum tollere sunt qui affirmant. Decoctum cum aceto dentium dolorem in collutione sedat.

Lactuca sativa — planta valde communis usus, quae albo succo scatet, quo nuperi extractum efformant quod *lactucarium* dicunt, nuncque *thridace* etiam

vocant. *Lactucarium* utpote calmanti virtute praeditum commendatur, quin noxas inducat opio proprias. Extus folia ulcerationibus cutaneis applicantur, et irritationem sedant.

D. Succus ab ℥ j ad iij. Aq. stillat. ab ℥ ij ad IV.

Lactuca virosa — ad venenatas plantas spectat. Succo lacteo scatet, quo inspissato ad opium sophisticandum olim utebatur, ob virtutem quodammodo analogam; ejusque extract. a gr. ij ad gr. xv et ultra. In ulceribus cancerosis acerbo dolore stipatis commendatum fuit.

Lauri cerasi folia — notissima est lauri cerasi aqua stillatitia ob ejus virtutem controstimulantem; si cohobata, mortem ipsam producit.

D. A gut. IV ad xij.

Extus autem ab ℥ ß ad ℥ ij, in affectionibus cancerosis, et potissimum uteri commendata fuit postremis hisce temporibus apto vehiculo.

Lycopus europaeus — planta subamara, subastringens, in fossarum ripis crescens, urticarum figuram præseferens, quae, nuperrime, umbra siccata et pulverata a Prof. Re utpote succedaneam corticis peruviani proposuit et commendavit. In Monregalensi provincia ab ejus experta virtute *erba china* dicitur.

Malva — mucilaginoso principio scatet. Ideo eadem ut emolliens, relaxans in decoctis infusis, pro clysteribus, fomentis etc. celebratissima.

Marrubium — saporis intense amari est, odoris non prorsus injucundi, ut quasi moschum redoleat. Communem habet resolventem cum cæteris amaris et aromaticis plantis.

Matricaria — odor plantae singularis, ut hystericarum naribus admota eas excitet. Inter cephalicas et uterinas plantas recensetur: ab alpicolis Bernensibus vocatur *genepì* ut et *absynthium alpinum.*

D. Pug. j pro infus. in ℔ j aquae fontis.

Melilotus — suave olens planta, mucilaginoso resolventi principio scatens. Dolores lenit, tumores discutit, abscessus maturat, in cataplasmate, fotu, emplastro, clystere, usurpata.

D. Manip. j pro decoct. in ℔ ij aq. font.

Melissa — amaeno odore citrum aemulanti, et sapore balsamico donatur, ab oleo æthereo, et volatili quem facile exhalat. Ventriculo, capiti, utero amica est planta, et dolores et spasmos lenit. Cardiaca etiam dici potest. Ejus oleum essentiale in epilepsia uterina sunt qui laudant.

D. pug. j pro infus. in ℔ j aq. fontis. Aq. stillat. ab ℥ ij ad iv. Tinct. a ʒ ß ad ij. Ol. essent. a gut. ij ad viij. Syrup. ab ℥ ß ad ij.

Mentha — odore acri et soavi, sapore aromatico subastringenti ab oleo æthereo quo abundat. Virtus dosis et praep. habet analogas antecedenti.

Mercurialis — mucilaginosis principiis scatet; inter quinque herbas emollientes collocata. Lubricat,

laxat, aperit: pro fotu, cataplasmate, et clystere adhibetur.

Millefolium — leviter odorata planta ex oleo æthereo fragrante, quod caeruleum coloremhabet. Antispasmodica, vulneraria. In haemorrhoidum caecarum dolore, in affectione calculosa. Fit linimentum ex ejus pulvere una cum oleo lini ad haemorrhoides.

Nasturtium aquaticum — planta omni laude laudanda in scorbuto, et in malis, qui ab eo promanant. Succus ejus ab ℥ j ad IV administratur. Ad jusculum ex carne vitulina alterandum: comatosos excitat, unde illud proverbium: *ede nasturtium.* Extus vero ad ulcera scorbutica abstergenda.

Nicotiana — singularem acrem et volatilem quodammodo nauseosum præbet odorem et saporem. Narcotica simul et stimulans. Pulvis errhina. Insuetis juvat in odontalgia. In clysteribus aqua decocta planta, vel fumus ad hernias incarceratas atonia stipatas commendant Practici. Folia cum aceto in cataplasma redacta tumores duros dissipant. Ejus decoctum ulcera *cacoëthea* mundificat. Infusum ex ʒ j in aq. font. ℥ xv optimum clysterem facit in herniis incarceratis intestini a fæcibus stagnantibus, vel etiam ejusdem fumus, clysteris instar, opportuno syphone immittitur.

Origanum — oleo aromatico scatet et inter plantas resolventes, stimulantes, aromaticas est, iisque usibus ac illae destinatur.

Parietaria — insipida est et aquosa, ita dicta quod contra parietes crescit. Inter quinque herbas emollientes collocatur. Hinc ad usus quibus hæ plantæ destinantur. In clysteribus alvum laxat. Virtute diuretica etiam pollere creditur.

Pini strobuli — nempe tenellae pini summitates odore et sapore resinoso nec non amaricante. Decoctum ex hisce urinas movet, affectionibus ulcerosis viarum urinariarum medetur, scorbuticos humores corrigit. Extus etiam scabiem abstergit.

Plantago — insipida, dein adstringentem sensum excitat. Foliorum decoctum, vel succus, vel aq. stillat., qua os abluitur nimiæ salivationi mercuriali obstant.

Populi gemmæ — viscosæ sunt hæ gemmæ odoratissimae, et verae balsamicae et habent virtutem analogam pini strobulis.

Portulaca — planta succulenta, aquosa, subacida; ad plantas virtute refrigeranti pollentes spectat. Vulneribus syderatione factis in cataplasmatis forma utiliter imponi posse, ajunt.

Pulegium — odoris suavis et saporis aromatici subamari ob oleum æthereum. Virtutem plantarum aromaticarum habet, iisdemque usibus destinatur.

Rosmarinus — gravi odore, sapore aromatico, acri donatur propter oleum aromaticum, quo scatet: ad plantas aromaticas pertinet, earumque possidet virtutes.

Ruta cum summitatibus — gravi odore et sapore

amaro, proprio, acri pollet ab oleo æthereo qua dives est. Alexipharmaca, sudorifera: aqua stillata et cohobata epilepsiae prodest, vermes enecat in intestinis, si ejus infusum aut decoctum sumatur; urinam ciet; menstrua pellit. Folia viridia contusa ad condilomata, et haemorrhoides inveteratas laudantur.

Sabina — inter omnes plantas quam maxime olei aetherei dives, calefacit, menses, lochia, haemorrhoides, ipsumque abortum provocare valet. In linimentis et decoctis ad achores et favos capitis, et ad scabiem confert.

D. Pulv. a ℈ ß ad j. Infus. a ℈ j ad ij in aq. font. ℔ j. Extract. a gr. iv ad x. Olei essent. a g.t iij ad viij.

Salvia — jucundo odore, sed gravi ex oleo aethereo donatur. Inter tonica, aromatica est, quibus utimur adversus paralysim aliosque morbos ab atonia fotos. Ejus infusum ex pug. ij in ℔ j aq. font. in fluore albo perutile est. Pulvis errhinus.

Sambucus — odorem ingratum habent folia. Iisdem sole aut igne flaccidis obtectae partes aedematosae resolventem, diaphoreticam vim exerunt.

Saponaria — amarissima planta, trita inter aquam spumas agens, saponaceo principio dives: ad plantas virtute resolventi, discutienti donatas refertur.

D. Fit decoctio: datur succus ab ℥ j ad ij. Extract. a ʒ ß ad j.

Scabiosa cum floribus — aliquantisper amara, substringens, saponacea. Hinc ad plantas resolventes, discutientes. Decoctum externe pro lotione contra scabiem, achores, et favos valere sunt qui opinantur.

Scordium — odor aliquantum alliaceus, sapor acris, amarus. Urinam et sudorem ciet; putredini obsistit. Alexipharmaca habetur. Externo uso planta utilissima est cataplasmate adhibita in inflammationibus ad gangrænam vergentibus.

Senecio — saporem herbaceum et nitrosum habet. Vix virtute medica pollere censebatur antea quam Doctor Finassi ejus succum dosi semiunciae ad spasmos hystericos illico sedandos, experientia edoctus, proponeret, vel pulv. a ʒ ß ad j.

Senna — modice amara et nauseosa folia hujus plantae. Purgativa eccoprotica ejusdem infusio.

D. Infus. ʒ ij ad ℥ ß in ℥ vj aquae font. Tinct. a ʒ j ad ij. Pulv. a ℈ j ad ʒ j. Nuperrime *cathartina* in ea detecta.

Serpillus — odor et sapor plantae acris et suavis aromaticae. Virtus est calefaciens, resolvens, roborans, potissimumque ejus infuso alcoolico, quod *aqua benedicta serpilli* vocatur.

Solanum nigrum — propria donantur virulentia planta, nec non ejus baccae. Dolores lenit si partibus dolentibus per fomentum, aut cataplasma admoveatur. *Solanina*, seu principium extractivum narcoticum in ea detectum fuit.

Tanacetum — gravis odoris et amari saporis planta. Anthelmintica, emmenagoga, antihysterica.

D. Pulvis a ℈ j ad ij. Infus. ℥ j pro quaq. ℔ j aq. fontis.

Taraxacum — turget succo viscoso, lacteo, saponaceo et amaricante. Febrifuga virtute ejus extractum pollet. Infusum et decoctum humores diluere, temperare valent.

Thymus — fragrans et aromatica planta. Externo usu in sacculis dolores rheumaticos resolvit. Oleum ejus in odontalgia cum gossipio cavitatibus dentium immissum, efficax. Iisdem praeterea inservit usibus ac caeterae plantae resolventes, aromaticae, stimulantes.

Trifolium fibrinum — admodum amara planta. Febrifuga, ad obstructiones resolvendas commendatur ejus extractum a ℈ j ad ij.

Urtica — sapor plantae aquosus, et subastringens: ob ejus principium adstringens ejusdem succus in haemorrhagiis commendatus fuit, et in scorbuticis praesertim: ita in haemopthysi, in mictu cruento, in metrorrhagia ab ℥ ij ad iv laudatur. Recens planta partibus admota vim habet rubefaciendi, et excitandi vesiculas, ob id in paralysi adhibita fuit interdum cum pleno successu.

Uva ursi — arbutus est, cujus folia initio styptica, dein amara, cui singularem in calculis urinariis actionem veluti lithontryptica magni fecerunt. Profecto, si quae apud Medicinae Proceres de uva

ursi occurrunt, consulamus, fas est fateri eam cruciatus renum et vesicae, dysuriam et stranguriam ex calculo interdum mitigare, urinam, mucum, pus, arenulas, parvosque calculos pellere.

D. Pulvis a gr. v ad xx. Decoct. ex ℨ j ad ij in aq. font. ℔ j.

Vinca pervinca — saporis est amari, subastringentis. Ad haemorrhagias, et alia profluvia; ad faucium inflammationes, in sero lactis, in aqua, aut vino decocta pro variis adjunctis.

Arnicæ flores — odorem fragrantem, saporem quodammodo acrem et nauseosum habent. *Cytisina* in arnica reperta. Virtus antispasmodica, nervina in cerebrum ejusque nervos efficacissima. Hinc in omnibus paralysis speciebus, neque amaurosi excepta, infusio commendatur, et in multis morbis oculorum, nervorum atonia stipatis, utilissimam observavi.

D. Infus. a gr. x ad ʒ j in ℔ j aq. Aq. still. ab ℥ ij ad iv. Extract. a gr. v ad ℈ j.

Balaustiorum flores — adstringenti facultate pollent; unde pulveres stipticos et decocta istius generis

---

(1) In floribus habetur quasi totius plantae essentia. Per eos enim, propriorum organorum ope, reproducitur ipsa planta: organa vero sunt *calix* exterior pars, quasi thalamum: *corolla*, quae propius genitalia organa protegit: *stamina*, quae totidem sunt masculi ipsius plantae in orbem disposita, et in *anteras* desinentia, quae *pollinem* seu pulverem levissimum faecundantem continent: *pistilli*, qui sunt foemineae generationis partes; cujus extremum latius foraminulo apertum *stygma*; et ductus intra pistillum communicans ad basim cum semine *stylus* dicitur. Semen vero sive embrio vegetalis, si per pollinem faecundatum fuerit, vitam, et maturo facto, reproductionis facultatem acquirit. Pars quae semen involvit *pericarpium* dicitur. Ex quo facilius est intelligere flores quasi totius plantae essentiam praestare.

ingrediuntur; ad collutoria et gargarismos usitatissimi.

Calendulae flores — odorem fundunt non admodum gratum, sapore sunt acri et amaro balsamico. Calefacientes sunt; sudorem movent; vermes expellunt; menses et lochia excitant.

Chamomillae flores — odore peculiari fragranti scatent. Oleo aethereo sunt divites. Vires insignes ostendunt. Inter paregorica, antispasmodica, antihysterica locum obtinent. In quarumcumque externarum partium doloribus et paralyticis affectibus vel cataplasmatis, vel fomenti forma adhibentur. Suffitus ex chamomeli floribus hystericis et hypocondriacis prosunt. Immo nullum magis commodum et opportunum remedium quam ejus infusum, aut extractum, ut et ejus oleum in morbis exterioribus dolore stipatis.

D. Pulvis a ʒ ß ad j. Infus. a ʒ j ad ij in ℔ j aq. fontis. Tinct. ʒ j ad ij. Ol. essent. gut. vj ad xij in aliqua potione. Extract. ʒ ß ad j. Aq. still. ab ℥ ij ad iv.

Croci stigmata — odorem suavem edunt fragrantem. Virtutem habent hypnoticam, sed prius spiritus confortant, mentem exhilarant; hinc pulverata ad dolores et spasmos sedandos interius pauca dosi sumta, idest a granis vj ad x: vel etiam ad cataplasmata maturantia pro abscessibus inspergenda, et suppurationem accelerare, et dolores eodem tempore sedare, observatione quotidiana constat.

Hyperici flores — Vulneraria iisdem tribuitur virtus. Hinc oleum hyperici commendatissimum in medicatione vulnerum. Cum aceto cocti cum foliis, in gangliis curandis valentes dicuntur.

Lavandulae flores — oleo subtili et volatili praediti sunt: saporis sunt acris, aromatici, odoris jucundi. Caput et nervos roborant, flatus dissipant. Externe languentes et syncope hysterica laborantes, naribus admoti reficiunt. Ad plantas aromaticas roborantes pertinent.

D. A ʒ j ad ij pro ℔ j aq. fontis. Aq. stillat. ab ℥ j ad iij. Tinct. a ʒ ß ad j. Ol. essent. a gut. ij ad vj. Acet. ab ℥ ß ad j.

Liliorum alborum flores — gratum odorem fundunt, sed ita intensum ut caput gravent et temulentum reddant. Oleum ex flor. lil. alb. maxima pollet virtute emollienti, et relaxanti.

Liliorum convallium flores — fragrantem odorem spirant cerebro et nervis gratum. In cephalalgia, in paralysi, in memoriae imbecillitate conveniunt aqua, vel vini spiritus eorumdem fragranti principio imbuti.

Malvae flores — eadem virtute pollent ac folia, et iisdem utimur ad infusum in renum et vesicae morbis utilissimum, et potissimum ad tussis feritatem mitigandam.

D. Pug. j pro infus. ad ℥ vj.

Huic accedunt virtute pectorali flores farfari, et nympheae.

Papaveris erratici flores cum capsulis — ex recentiorum experimentis indole et proprietatibus multum ad opii vim accedere constat.

Persicae flores — clementer purgant, lumbricos expellunt, obstructiones reserant, et hydropicis utiles fiunt. Adhibentur in syrupo, in infuso et in decocto.

Rosarum flores — ea quae *gallica* dicitur, et *damascena* in usum veniunt. Subastringenti principio scatent. Hinc in internis externisque profluviis in phtysicis ubi colliquativa fluit diarrhaea, in leuchorrhea. Magis quam infusum in usum venit conserva a ʒ j ad iv; vel syrupus ab ℥ j ad ij. Aq. stillat. p. collir.

Sambuci flores — non ingratum habent odorem. Infusi aut decocti ad fotum emollientem et leviter resolventem inserviunt. Adaugetur virtus resolvens si una cum floribus chamomaeli adhibeantur.

Intus virtutem diaphoreticam habet infusio, et roob ex ejusdem baccis paratum.

Sumach flores — maxima potentia adstringenti pollent, hinc una cum floribus balaustiorum usurpantur externe potissimum.

Tiliae flores — odorem suavem spirant, in affectibus spasmodicis prosunt.

D. Infus. fit a pug. j in ℥ x aq. font.

Tunicae flores — aromatico et fragranti odore donantur. In atonia ventriculi, aliorumque viscerum, seu ut remedium praecipuum, seu ut excipiens

ad alias involvendas substantias utilis conserva a ʒ j ad ij.

Verbasci flores — Infusum aut decoctum transpirationem movent, nephriticos et haemorrhoidales dolores leniunt; externe etiam cum lacte cocti in inflammationibus et tumoribus haemorrhoidalibus prosunt.

Violae flores — suavem spirant odorem omnibus notissimum. Virtutem lenientem in tussi, in raucitate expectorantem tribuunt. Urinae ardori medentur.

D. Pug. j pro infus. in ℥ x aq. font. Conserva ʒ j ad ij.

Violae odoratae virtuti accedit tricolor, seu jacea, valde celebrata in crusta lactea. Ex ℥ ß fit decoct. ad ℔ j. Pulvis a ʒ ß ad j.

Anethi semen — semen oleo aethereo acri abundat, in quo vires discutientes, stomacichae continentur. Pertinet ad quatuor semina carminativa majora.

D. Pulvis a ℈ j ad ʒ j. Infus. a ʒ ij ad iij in ℔ j aq. fontis. Aq. stillat. ℥ j ad iij. Ol. essent. a gut. v. ad x.

Apii semen — oleum continet leniter acre, sapore et odore gratum. Obstructiones solvit, menses et urinam pellit. Ad quatuor semina calida minora spectat.

Avena — praeter alimentosum, aliud medicamentosum praebet usum. Virtutem exerit lenientem, temperantem, et diureticam. Externe torrefacta, et sacculis inclusa calida, dolores colicos, hystericos lenit. Efformatur cum avenae ℥ j, ptisanae dictae Loweri ℔ j.

Cannabis semen — oleo abundat mucilaginoso per expressionem eliciendo. Virtutem excitantem, resolventem, diureticam, aphrodysiacam habet.

Cardui benedicti semen — virtutem alexipharmacam analogam plantae habet.

Citrulli semen — in calidis regionibus venit. Ad quatuor semina frigida majora pertinet: pro conficiendis emulsionibus temperantibus adhibetur.

Croton tiglii semina — expressa oleum ex purgantibus efficacissimum praebent. A gut. j ad ij

vehiculo demulcenti datum copiosissimas dejectiones alvi adducit. Hinc tutius extus linimenti forma usurpatur. Ex euphorbiis est, et ab Indiis venit planta.

Cucumeris semen — inter quatuor semina frigida majora est.

Cucurbitae semen — ejusdem ordinis ac antecedens est, eumdemque habet usum.

Cumini semen — gravi et aromatico odore et sapore pollet, ab oleo aethereo quo dives est. Inter semina quatuor calida majora recensetur. Viscerum atoniae succurrit, colicae dolores sedat, vermes expellit. Ab Anglis Chirurgis sub cataplasmatis forma in tumoribus scrophulosis commendatur, ut a nobis in sacculis externe ad lacteos tumores discutiendos utiliter adhibetur.

Cydoniae semen — mucilaginosa substantia turget. Hinc lubricat, laxat, refrigerat, atque lenit. In fissuris labiorum, linguae, mammarum aliarumque partium laudatissimam mucilaginem praebet.

Endiviae semen — inter quatuor semina frigida minora numeratur.

Erucae semen — acri principio pollet. Virtutem resolventem, stomacicham, diureticam ei tribuunt.

Fabae semen — ejus farina una cum decoctione virtutis analogae in cataplasma redacta, convenit ad tumores resolvendos mammarum, testium, aliarumque partium. Melle addito cataplasma maturans est. Ad erysipelata calida in sacculis adhibetur.

Semini fabae analogam habet virtutem *oryza* externo usu adhibita.

Faeniculi semen — dulce aethereum oleum continet. In numero quatuor seminum calidorum ponitur. Vi carminativa gaudet. Eodem numero, easdemque referunt virtutes semina Carvi et Coriandri.

Faenugraeci semen — mucilagine balsamica turget. Valet ad renum et vesicae dolores compescendos fotibus, clysteribus et cataplasmatibus adhibitum. Ad maturandos abscessus inservit.

Hordei semen — decoctum ejus ex ℥ j in ℔ ij aq. fontis, humores diluit, attenuat, temperat, urinae acrimoniam lenit, sitim exstinguit; ejus succus ante cerevisiae fermentationem usurpatur cum fructu in morbis renum et vesicae.

Lini semen — in usum frequentissime venit tum internum, tum externum. In morbis pectoris, raucedine, tussi, ejus oleum, vel etiam decoctum ex aqua semen efficax est, idest ℥ j in ℔ ij aq. fontis. Oleum quod per expressionem obtinetur ab ℥ j ad ij vi blanda purgativa pollet. Externo usu decoctum, vel oleum ad inflammationes faucium, vaginae, ani, ad ambusta, et ad haemorrhoides dolentes utilissimum. In farinam redactum optimum facit cataplasma emolliens, laxans, sive in tumoribus phlogosi stipatis, sive in viscerum doloribus ad fotum assiduum faciendum.

Lupuli semen — farinam praebet amarissimam virtute discutienti praeditam.

Melonum semen — inter quatuor semina frigida majora recensetur.

Milii semen — eo conficitur decoctum celebratum ut leniens et demulcens potio, quae diaphoresim movere valet.

Papaveris albi et nigri semina — pingui oleo referta sunt. Decocto utimur ad cataplasmata anodina conficienda. Emulsio vel infusum ad potionem lenientem antispasmodicam, paregoricam.

Phellandrii aquatici semen — odor ejus est fragrans atque balsamicus: sapor aliquantum acris et aromaticus. Obsoletus fere manebat apud veteres, nunc summo in honore est apud recentiores Medicos Italos. Controstimulans creditum, et in inflammationibus chronicis membranarum mucosarum tracheae, bronchiorum et vesicae uno ore commendant. Promissionibus omnino non respondent effectus, non negandi tamen.

Psyllii semen — mucilagine multa subdulci scatet, quae infusis seminibus aqua calida lenit, lubricat: unde in ulceribus corneae, in fissuris papillarum, aliarumque partium, in ambustis summopere confert. Sub emulsionis forma, vel per injectionem in urethram, in stranguria et dysuria prodest.

Ricini semen — ab Indiis in Hispaniam: a qua apud caeteras Europae partes translata fuit haec planta, cujus cultus facili negotio apud nos obtinetur,

et semina sat bene perficit. Ex hisce unguinosum ac pinguedinosum oleum educitur, quod vim purgantem, et anthelminticam exerit eximiam.

D. Ab ℥ ß ad j in theae, aut tenuis juris cyatho. Pro linimentis purgantibus conficiendis etiam adhibetur. Folia aceto macerata herpetes, scabiem, et tineam sanant.

Sabadilli semen — sapore acri praeditum est. Axungia subactum et capiti illitum mira efficacia pediculos enecat. Validum praebet errhinum pulvis.

Santonici semen — amarum et acre est, et aromaticum spirat odorem. Vulgatissimum est anthelminticum, quod in pulvere ad drachmam unam, vel in infuso ad duas: vel saccharo obductum infantibus praebetur summa cum utilitate.

Sinapis semen — acerrimum est et calefaciens. Ex aceto contritum una cum farina fit puls, quae *sinapisma* dicitur, quodque capiti raso impositum, vel plantis pedum in apoplexia et lethargo prodest: ut et prodest ad revocandas ad exteriores partes inflammatio subito cessata, et interiora viscera adgressa. Impetiginibus cum aceto illitum medetur. Antiscorbutica vi egregia pollet.

Urticae semen — virtutem diureticam, aphrodysiacam habere censent. Aqua mulsa aut jusculo tritum, vomitum ciet a ʒ ß ad ʒ j.

Allii radix — sapor et odor singularis proprius ab oleo aethereo proveniens. Virtus insignis et multiplex est. Calefacit et aperit. Recens contusa et cuti imposita eam rubefacit, hinc in paralysi utiliter applicatur: verrucis inungitur.

Altheae radix — succo mucilaginoso abundat, cujus ratione emollit, lubricat et maturat. Decoctum usurpatur pro fotu; pro cataplasmatibus et clysteribus emollientibus, pro collyrio in ophtalmia urenti, in haemorrhoidibus acri dolore stipatis.

Apii radix — inter quinque aperientes radices minores recensetur.

Aristolochiae radix — acris est et amaricans. Virtus emmenagoga. Ad ʒ j in pulvere ad scorbutum, ad podagram, ad viscerum obstrutiones laudatur. Externe carnes fungosas pulvis absumit, ulcera sordida repurgat.

Armoraciae seu raphani radix — recens radix succulenta est, penetrantissimi et acerrimi odoris. Potentem habet virtutem in scorbuto. Externe detrita in affectibus soporosis pedibus applicatur: collo, in angina mucosa.

Artemisiae radix — pulverata ad dosim ʒ j in Instituto Clinico Berolinensi epilepsiam saepe sanasse, scribit Hufland: experimenta habita in Nosodochio charitatis hanc virtutem non plane comprobarunt.

Arundinis radix — saporem habet mucilaginosum subdulcem. Inter potiones diureticas et depurantes recensetur: ejus decoctum ex ℥ j in ℔ ij aquae fontis.

Asparagi radix — ad diureticas radices merito adscribitur. Substantiam *cristalisabilem* continet, quae *asparagina* dicta fuit.

D. ab ℥ j ad ij in ℔ ij aq. fontis.

Huic accedit ob similem virtutem fragrariae radix.

Bardanae radix — in decoctione aut infusione ab ℥ j ad ij in ℔ ij aq. fontis resolvens, aperiens, diaphoretica est. Ad cutis affectiones commendatur, immo etiam in ipsa lue syphilitica.

Bistortae radix — saporem adstringentem habet. Convenit pulverata in haemorrhagiis, aliisque fluxibus a ʒ ß ad ij ubi adstringentibus locus est. Vino austero decocta a ʒ ij ad iv in ℔ j ad firmandos vacillantes dentes prodest.

Bryoniae radix — acrem, amarum et nauseosum saporem habet, nec non virtutem validissimam drasticam hydragogam. Hinc in hydrope, leucophlegmatia commendata. Extus adhibita inter potentissima resolventia collocatur. Cum ejus decocto parantur cataplasmata ex farinis resolventibus.

Calami aromatici radix — sapor acris est, et aromatico-urens, ab oleo quod continet, et a quo facultatem obtinet calefacientem, stomacicham

Carotae radix — odor peculiaris non ingratus,

sapor subdulcis. Virtus antiseptica, detergens. In ulceribus morbosa sensibilitate stipatis, in cancerosis et succus et pulpa laudantur, una cum fol. cicut. pulverat. Ex pulpa optimum fit cataplasma.

Caepae radix — mordacem praebet saporem. Cocta amittit. Alvum et urinas movet intus sumpta alimenti instar. Externe in tumoribus inflammatoriis utpote emolliens, maturans una cum cataplasmatibus, aut assata, utiliter adhibetur. Allia et caepas agricolarum theriacam vocat Galenus.

Cichorei radix — amara, et blande resolvens est: Hinc in viscerum obstructionibus, morbisque inde oriundis valdopere prodest.

In ulceribus vetustis a viscerum abdominis obstructione adortis ab ejus succo ab ℥ j ad iij sanatio observata fuit. Extract. a ʒ j ad iij.

Consolidae majoris radix — sapor ejus viscosus et insulsus. Virtute tamen adstringenti pollet. In affectibus catarrhosis, nec non in mucosis fluxibus sistendis ejus infusum, decoctum, aut syrupus proficiunt.

Dulcamarae radix et stipites — sapor amaricans, dein subdulcis. Vires ei tribuunt saponaceas, resolventes, sedantes; ad dolores arthriticos, immo et syphiliticos sedandos, et una cum salsaparillae radice consociantur a ʒ ij ad vj. Extr. a ʒ j ad ij.

Enulae radix — aromaticam qualitatem habet ab oleo ejus aethereo. Virtus ei tribuitur ad tremorem compescendum a mercurialibus ortum. Actio-

nem suam in systema exerit dermoideum, ita ut sudorem proliciat, et artificiale exanthema ab ejus decocto cum cerevisia parato inde ortum credatur.

Foeniculi radix — inter quinque aperientes majores recensetur. Radix in vino decocta et oculis applicita in oculorum suffusionibus laudatur. Tanta non est ei danda fides. Attamen inter aquas ophtalmicas resolventes primas obtinet ejus stillat.

Filicis radix — amara viscida et nauseosa est. Virtus ejus anthelmintica probatissima. Praeterea tonicam virtutem possidet et resolventem in arthrinicis morbis; et in viscerum obstructionibus salutaris visa fuit.

D. Pulvis a ʒ ß ad j. Decoctio ab ℥ ß ad j in ℔ ij aq. fontis. Tinct. a ʒ j ad ℥ ß.

Gentianae radix — subacris, amarissima est. Ad potiores amaras substantias pertinet. Hinc ad febres intermittentes fugandas, ad vermes necandos. Externo usu in ulceribus ampliandis turundae sub forma adhibita radix, nec non ejus decoctum in mundificandis conferunt.

Graminis radix — subdulcem habet saporem. Inter quinque radices aperientes minores refertur. Virtus ejus refrigerans, leviter saponacea non contemnenda in viscerum obstructionibus, morbisque prodeuntibus.

D. fit ab ℥ j ad ij in ℔ j aq. fontis decoctum. Extractum a ʒ j ad ij propinatur.

Imperatoriae radix — aromatica est, et oleum aethereum vehit. Sudorem et urinam movet. Commendata etiam fuit in epilepsia.

D. Ad ʒ ß pulvis. Ejus decoctum ab ℥ ß in ℔ ij aq. font. pro clystere ad pellendam placentam laudatum.

Ipecacuanhae radix — amara est et acris. Tutissimum et lenissimum est, inter medicamenta emetica, omnibus generatim praeferendum a ℈ j ad ʒ ß. partitis vicibus. Imo grana vj aut viij idem praestare ac consueta dosis jam veteres, et nunc recentiores asseruere; hac postrema dosi una cum aliis adstringentibus in uteri haemorrhagia, nec non in fluxibus catharrosis intestini recti praestat.

D. Tinct. ab ℥ ß ad ℥ j, sive aquosa, sive vinosa stomachica aestimatur. Vin. et syrup. ab ℥ ß ad ℥ ij. Ab hac radice extrahitur *emetina*.

Ireos florentinae radix — suavem habet odorem violaceum gratum et modice acrem. Est nauseosa, ob id tracheae et pulmonum catharri excretioni favet. Ulcera faucium ejus decoctum una cum rosaceo mele sanat. Ex hac radice fiunt globuli immittendi in ulcera artificialia, cauteria dicta, ut majorem suppurationis copiam provocent.

Liliorum alborum radix — dulci mucilaginoso succo repleta. Lenit, lubricat, unde frequentissimus ejus usus in clysteribus et cataplasmatibus.

Liquiritiae radix — dulci mucilaginoso succo admodum grato abundat. Ad humores acres contem-

perandos in tussi, in dysuria, stranguria, nephritide frequentissimi usus, ita et in potionibus pectoralibus dictis.

Huic accedit ob qualitates et virtutes radix graminis usitatissima una cum liquiritiae radice ad temperantes potiones.

Mechoacannae radix — saporis et odoris quamvis expers, blande tamen purgat. Hinc infantibus et delicatioribus laudatur iis in casibus in quibus purgare convenit: a g. x ad xxx datur.

Ononidis radix — ad quinque radices aperientes minores refertur. Virtus diuretica.

D. Pulv. a ℈ ß ad ℈ j. Decoct. ex ℥ j in ℔ j ad ij aq. font.

Osmundae regalis radix — olim laudata, dein oblita apud nos ejus extractum adhuc commendatur in rachitide. Ejus virtus ab eo quod ventriculi vires instauret, repetenda.

D. A ℈ ß ad j.

Petroselini radix — haec radix quinque aperientibus majoribus accensetur. Virtutem ei tribuunt diureticam.

Peucedani radix — succosa est, acris et gravi odore cum recens colligitur. In nervorum vitiis commendatur, in vesicae et capitis doloribus ex oleo et aceto illita laudatur. Pulvis ejus sordidis ulceribus utiliter inspergitur.

Polypodii radix — dulcis et subnauseosi saporis est. Virtutem habet leniter purgativam, resolven-

tem in viscerum obstructionibus, morbisque ab iis enatis; immo praemuniendae podagrae efficacissima dicitur, si jugi usu a ʒ j in infuso potetur. Infusis laxantibus eccoproticis additur.

Pyretri radix — saporis est intense acris et urentis. Salivam potenter ciet et odontalgias chronicas masticata sedare valet. Vino vel spiritu vini infusa, membris paralyticis prodest; ad linguae paralysim seu ore retenta, seu inter gargarismos facit.

Rapae radix — decoctum hujus radicis, vel etiam in talleolas cocta in aqua, vel sub cineribus tosta varios habet usus, vel cataplasmatis instar in angina, vel ut resolvens, diuretica, temperans, si ratione alimenti sumatur.

Rhabarbari radix — ex China ejusque confiniis per varios gyros ad nos advehitur. Characteres veri et boni rhabarbari hi sunt; quod sit coloris ex rubicundo flavo penitusque sicca radix, crassa ac densa. Sapore est amaricante, cum leni adstrictione; liquorem, cui infunditur croceo colore tingit. Tutissimum medicamentum leniter purgans omni aetati et sexui, salubre, debilibus proficuum.

D. Pulv. a ʒ ß ad j in adultis: unum aut alterum granum in infantibus.

Salsaparillae radix — sapor ejus lignosus subdulcis cum aliqua adstrictione. Hujusce radicis vimines eligantur flexiles, crassi, inodori, cortice extus flavescente, vel rufescente obducti, albamque occludentes medullam concretae farinae ad instar,

friabilem, glutinoso ac subamaro sapore praeditam.

Maximam virtutem ejus antisyphiliticam seu solam, seu mercurio conjunctam nuperiores demonstrant observationes; potissimum vero si methodo Cestoniana fiat decoctum ab ℥ j ad ij in ℔ ij aut iij aq., qua praepeditur avolatio pulvisculi ejus tenuissimi; vel si ex ℔ j radic. fiant syrup. ℔ iij sumend. ab ℥ ij ad IV in die. Pulv. a ʒ ß ad ʒ j. Extract. a ℈ j ad ʒ j.

Nuperrime Professor Folchi Bononiensis praeter principia multis plantis communia, substantiam alkalinam continere experimentis comprobavit, cui eximia ejus virtus tribuenda, quam Galileus Palotta *pariglina* vocavit. In morbo a nimia mercurii dosi producto, *mercuriali* etiam dicto, patentissimos ejusdem virtutis effectus in syphiliticorum Nosodochio, et extra, nobis edidit haec radix.

Longe inferiorem habet virtutem *radix chinae* materie amylacea scatens; saepe tamen salsaparilla consociatur.

Scillae radix — acris admodum et amara est, sapor nauseosus. Virulentiae non expers, ventris quippe tormina et inflammationem producere valet. Principium gummosum et resinosum continet aqua et alkoole extrahenda. Inter potentia medicamenta diuretica recensetur, expectorationi favet; cui scopo gummosum extractum magis commendatur. Celebre est oxymel et acetum scilliticum; quo postremo utuntur Chirurgi ad tumorum vel scir-

rhosorum resolutionem tentandam: oxymele utuntur etiam pro clysteribus in cerebri commotionibus.

D. Datur pulvis a gr. v ad x. Tinct. a ℈ j ad ʒ j aliqua potione. Vin. ℥ ß ad ℥ j. Acet. scillit. ʒ j ad ij. Oximel. ℥ ß ad j. Extract. gr. j ad iv.

Serpentariae virginianae radix — aromatico odore et acri sapore donatur; nomen ab eo quod serpentis morsus curare dicebatur, accepit. Virtus ejus alexipharmaca, diaphoretica, roborans est.

D. Pulvis a ℈ j ad ij. Infus. a ʒ ij ad iv pro ℔ ij aq. fontis. Extract. a ℈ j ad ʒ ß.

Tormentillae radix — saporem habet amarum et adstringentem. Virtutem similem. In vino cocta ad dentes vacillantes, ut bistortae radix, eademque dosi valet. In ulceribus putridis sanandis ejus decoctum etiam prodest.

Valeriane sylvestris radix — odorem gravem aromaticum cum sapore acri et amaro exhibet. Resolvens, aperiens, anthelmintica, nervina, sudorifera, diuretica, quin etiam antiepileptica ea interdum fuit observata. In amaurosi laudatur. Externo usu pulvis attractus sternutationem, humoresque copiosos e membrana pituitaria elicit.

D. Pulvis a ʒ j ad ij. Tinct. a ʒ ß ad j. Extract. a ℈ j ad ʒ j.

Analogas antecedenti habet qualitates et virtutes arnicae radix: paullo minori dosi adhibetur.

Zedoariae radix — odor ejus gravis est, sapor acris, amarus, et aromaticus. Calefaciens, stomachica; adversus scorbutum viscerum infarctus, et amenorrheam laudata. Infusum ad colicos et hystericos dolores sedandos adhibetur.

D. Datur pulvis a granis x ad xxx. Tinct. a ℥ j ad ij. Extract. ℈ j ad ij.

Alkekengi baccae — subacidae et subamarae sunt; quid anodyni continent ut omnia solanacea. Renum doloribus et vesicae mulcendis aptae censentur. Quem in finem vel comeduntur, vel succus expressus sumitur; vel aqua aut vino maceratae usu veniunt.

Aurantia malus — succus ejus subacidus, et gratus est; proinde reficit et temperat. Fructus immaturi pisi magnitudinem aequantes aromate peculiari donantur ad languentem stomachum refocillandum apto. Extus etiam fonticulis immittuntur ad majorem humorum affluxum excitandum odoremque corrigendum.

Amygdalae — quarum aliae dulces, aliae amarae sunt. Priores principio oleoso, laxativo donantur. Alterae acido peculiari, *prussico* dicto, et oleo unginoso amaricanti praeditae; virtutem sedativam, anodynam controstimulantem exeruut. Hinc ex amaris condiuntur, praeparantur pastilli amygdalini, quibus frequens est usus post lautas epulas. Earum oleum in cutis efflorescentiis, in aurium doloribus laudatur, nec non in ulceribus, vel stricturis nimia sensibilitate stipatis praesertim æsophagi, valde proficuum expertus sum. Ex dulcibus amygdalis praeparatur emulsio communis a ℔ j ad ij, cujus virtus demulcens, laxans, notissima.

D. Olei amygdalarum dulcium intus ab ℥ j ß ad ℥ iij. Amararum a ʒ j ad ij.

Cacao — nucleus cortice duro et fusco inclusus est, saporis subpinguis, subamari et oleosi; siquidem sebaceum oleum continet, quod coctione in aqua ad ejus superficiem dimittit. Praeter optimum nutrimentum quod affert, interdum medicamentum evadere potest in morbis consumptione stipatis; interdum etiam in quibusdam ipsius ventriculi affectionibus. Oleum sebaceum quod etiam *butyrum cacao* vocatur, ad aphtas, ad raghades, caeterasque dolorificas solutiones illitum, prodest.

Cardamomum — tres habentur cardamomorum species, cujus etiam fructus varia capsularum structura discrepant. Viribus tamen ac sapore specifico aromatico conveniunt. Ob copiosum acre oleum aethereum calefaciunt, nervis et nervosis partibus atonia affectis opitulantur; hinc etiam visus et auditus sensum acuere traditum est. Ex cardamomi specie nobile illud *oleum Kajeput* paratur.

Caricae pingues — egregio abundant succo dulci mucilaginoso; gratum praebent nutrimentum, medicamentum etiam pectorale, emolliens, relaxans, et potissimum in angina, raucedine, tussi; et in gingivarum abscessibus coctae, utpote topica remedia emollientia et maturantia utilissime usurpantur.

Caryophilli — sunt flores non expansi caryophilli

aromat., qui odorem et saporem gratum, aromaticum, acrem praebent. In morbis lentis et chronicis usurpantur. In infarctubus uteri non phlogisticis commendantur, ita et in cæteris tumoribus nulla inflammatione stipatis.

Cassiae fistula — est longa siliqua cylindrica, cortice nigro ligneo constans, intus in plures cavernulas divisa, in quibus pulpa mollis, nigra, dulcis, cum seminibus planis continetur. Haec pulpa a nonnullis *flos cassiae* dicitur.

Leniter alvum laxat a ʒ vj ad ℥ j: bilis acrimoniam, febrium aestus obtundit, et renum et vesicae ardoribus succurrit. In ophtalmia, in otite, odontalgia, angina aliisque exterioribus inflammationibus una cum reliqua methodo antiphlogistica convenit.

Cerasa — alia nigra et dulcia sunt; alia rubra et subacida. Temperantem virtutem habent, subacida potissimum, et in decoctis temperantibus, siccata, adhibentur; vel ex iisdem syrupus, roob, gelatina cum saccharo condita parantur, et servantur.

Citria malus — ei singula conveniunt quae de *aurantia* malo.

Coffée nuclei — libri integri prostant de virtute et damnis coffée. Infusum nucleorum tostorum quo Europae gentes inde ab anno 1650 tantopere delectari coeperunt, non omni usu medico destitutum est, iis potissimum qui huic potui non assueti

sunt. In cephalalgia a viis digerentibus vitio nata, in ipsius ventriculi debilitate, in affectionibus hystericis, et soporosis prodest. Nuperrime ejus pulverem ut cortici peruviano succedaneum commendarunt.

Colocynthidis pomum — pulpa pomi spongiosa est, mollis, levis et cum acrimonia amarissima. Virtutem habet purgativam drasticam ita potentem ut nonnisi mitioribus, exigua dosi, et tragacanthæ mucilagine admixta adhibeatur. Virtus ei praeterea inest anthelmintica tam interno, quam externo usu usurpata.

D. a gr. ij ad x. Tinct. a gut. IV ad xij. Extract. a g. v ad xv.

Cucumis asininus — ex hoc fructu educitur succus amarus et purgans, qui ad extractum redactus a granis ij ad vjj hydropicorum aquas educere valet. Faeculam ejus etiam *elaterium album* vocant. Anginis chronicis efficacissime illinitur cum vetere oleo, melle, aut felle taurino, nec non aliis viscerum parenchimatosorum lentis obstructionibus.

Cydonia seu cotonea malus — austeri admodum saporis est. Virtutem habet adstringentem ob quam in laxitate ventriculi et intestinorum prodest. Cruda seu cocta cataplasmatibus adjicitur ad externas inflammationes resolvendas.

Dactyli — dulci, gratoque sapore pollent. Enutriunt, et humores acres temperant. In raucedine, tussi, urinae ardore efficaces sunt.

Fraga — fragranti odore, et suavi sapore acidulo praedita. Virtutem habet refrigerantem, humectantem.

Granata malus — succus ejus longe acerbior, adstringentior est quam cerasi aut ribisii. Ad bilis ardorem, et putredinem in febribus malignis, et alvi profluvium coërcenda laudantur nuclei.

Cortex vero virtutem pariter adstringentem in gargarismis, in decoctis ad varios usus exteriores egregiam ostendit.

Jujubae — fructus dulcem et mucilaginosam pulpam referunt. In decocto ad catharrum, tussim, et ad urinae acrimoniam commendantur.

Juniperi baccae — dulces, aromaticae, fragrantes, balsamicis et oleosis partibus abundant. Actionem calefacientem, roborantem, diureticam exerunt infusum aqua, aut vino, earumque extractum a ʒ j ad iij.

Lauri baccae — aromatico odore et sapore pollent: oleum aethereum et unguinosum vehunt. Virtutem habent emmenagogam, diaphoreticam, et carminativam. Paratur ex iis unguentum ad auditus vitia, et ad tumores resolvendos commendatum.

Limonia malus — succum acidum continet; et quamvis mali citrei species, validius acidum est, ex quo saluberrima potio temperans, antiphlogistica conficitur. Ad comparandam effervescentiam cum sale absynthii usurpatur in celebri mixtione antiemetica Riverii.

Mespili — esui aptus, subausterus, haud ingratus, alvi fluxu conducens fructus.

Mori — succo acido dulci scatent. Syrupus et roob in officinis conficitur, quorum in faucium tumoribus et inflammationibus frequens est usus.

Nux juglans — regiae nuces antiquitus cum ruta contra venena praeparabantur, et contra taeniam: obsolevere in posterum. Nuperrime in usum revocatae. Cortice earumdem duro utimur ad decoctionem Pollini juxta S. Giorgio praescriptionem typis mandatam, ex quo repetendi mirifici effectus quos obtinuimus in syphiliticorum clinice. Ex corticis immaturi pulpa una cum aequali dosi melis fit roob dyacarion, quod virtute resolventi et roboranti pollet. Ex maturis fructubus oleum exprimitur combustioni, et culinariae arti, oleo olivarum succedaneum.

Nux moschata — suavissimum aroma continet, ex oleo sebaceo scatens. Involucrum ejus *macis* vocatur. Virtutem habet calefacientem, roborantem ventriculo amicam sive intus sumatur, sive ejus oleum crassum regioni epigastricae illiniatur. *Macis* analogam virtutem praesefert.

Nux vomica — ex Malabaria, a strychnos provenit. Nucleum refert orbicularem, umbilicatum cortice exteriori tenui, pulposam intus occludentem substantiam inodoram, amarissimam, deleteriam, ex qua tamen nuperi chemici principium activum *strychina* eduxere, cujus virtus celebrata est ad

musculorum paralyses, utpote quod in contractiones musculos adigere, inter effectus hujusce medicamenti primarios, valeat. Prudentiam vero summam expostulat medicamentum, quod a quarta grani parte administrari debet.

Oliva — oleum continet exprimendum, unguinosum, cujus usus domesticus satis notus. Intus sumptum relaxat, lubricat, lenit; hinc in affectionibus viarum urinariarum, intestinorum, et in ipsis affectibus, nervosis dictis, plane convenit. Venenorum mineralium quasi antidotum commendatur. Tepidum ad dolentes nerveas partes illiniendas optime confert. In unguentis et emplastris quam plurimis elementum est praecipuum; cum albumine ovorum tritum in ambustis prodest.

Passulae — sunt uvae dulcissimae exsiccatae, duarum specierum: *majores* et *minores*. Virtutem analogam habent leniendi, temperandi, in infusis et decoctis pro potu ordinario.

Pini nuclei — oleum continent, quod superat oleum amygdalarum vi penetrabili et terebinthinata. Leniunt, nutriunt, urinam movent. Ex ℥ ß fit emulsio optima in phlogosibus chronicis viarum urinariarum.

Piper album, nigrum, et longum — fructus ex Malabar provenientes, qui ante maturitatem leguntur, et Soli expositi intra triduum nigredinem induunt immaturi. Albi remanent maturiores. Vis piperis aromatica, acris, ex oleo aethereo scatens no-

tissima. Piper longum omnium acerrimum judicatur. Nuperis temporibus utpote cortici peruviano succedaneum commendatum fuit in febribus intermittentibus. Imo per chemicam analysim principium ejus activum, *piperina*, eductum fuit. In morbis chronicis nervorum, in uvulae procidentia, in infarctubus laudatur. Strumas una cum pice, emplastri forma, discutit, resolvit.

Poma acido-dulcia — ex iis syrupus gratus paratur in morbis inflammatoriis ob ejus virtutem temperantem praestans ab ℥ j ad iij cum potione ejusdem virtutis. Poma sub cineribus cocta instar cataplasmatis oculis imponuntur, ore detinentur.

Pruna domestica — seu recens, seu exsiccata, et cocta, virtutem lubricantem, temperantem et eccoproticam habent.

Ribium baccae — succum subacidum leniterque adstringentem temperantem, refrigerantem. ad primos aestatis ardores tolerandos.

Virtutem analogam habent syrupus, et conserva ex iis parata quibus fiunt potiones utilissimae in morbis inflammatoriis externis, et in periodo phlogistica, quae graves sequitur operationes chirurgicas.

Tamarindi — sunt siliquae ex Arabiae et Ægypti arbore provenientes, e quibus pulpa nigricans, viscosa, acidi saporis educitur. Virtutem habent refrigerantem, laxantem, eccoproticam.

Vanilla — frutex parasiticus Americae meridionalis, qui suppeditat siliquas spithamam, et amplius longas, saporis aromatici, odoris gratissimi, in quibus minutissima grana continentur.

Condimenti gratia potius quam medicamenti adhibetur; vires reficere valet ventriculi ejus aroma alkoole eductum: ad chocolatae praeparationem commendatissimum est.

Guajacum, sive sanctum — ab America meridionali venit hoc lignum, e trunco aut majoribus ramis arboris ejusdem nominis depromptum. Acre, amaricans, nec non resinosum habet principium. Innotuit Europae circa annum 1517 utpote tuta luis syphiliticae medicina, qua tria millia hominum infectorum curatos fuisse legitur. Nostris diebus velut insigne sudorificum merito aestimatur, et licet syphilidi radicitus curandae impar, ut praestantissimum tamen subsidiarium medicamentum habetur; eoque magis quum syphilidis symptomata sunt affectiones chronicae cutis, vel rheumatismi naturam aemulantia, vel de corporibus scrophulosis aut scorbuticis agitur.

Datur frequentius guajacum in decoctione, quae paratur ex ligni rasi uncia una in libris duabus aquae ad colaturam librae unius. Saepius vero jungitur cum salsaparilla et cum sassafras. Laudatur resina guajaci, aut tincturae modo, aut cum gummi arabici contrita a x ad xx grana et mucilaginis instar in rheumatismo chronico, ejusque sequelis.

Juniperum — olim virtutem analogam guajaco tribuerunt. Virtus ejus in decocto diuretica, sudorifera, roborans.

Quassia — quassia amara etiam dicitur ab ejus intensissimo, diuque persistenti amarore. Principium gummosum longe superat resinosum. Hinc virtus stomachica, quae eidem tribuitur: ex aqua infusum caeteris praeparatis praefertur.

D. Pulvis a ℈ j ad ʒ ß. Tinct. a ʒ ß ad j. Extract. a ℈ j ad ij. Infus. a ʒ ß ad j in ℔ j ad ij aq. fontis.

Sagou — est medulla farinosa e ligno arboris *sagou* educta, artificiose ab Indis granulata, aliquot abhinc lustris in Europae regiones translata.

Analepticum praebet optimum ex aqua et lacte cocta, valde simile cremori orizae, hordei; in febribus lentis, consumptione stipatis, in phthisi, in alvi fluxu commendandum. Externe etiam in cataplasmate loco farinae emollientis in abscessubus maturandis adhibetur.

Sassafras — lignum et cortex a Virginia et Carolina adveniens, saporis est subdulcis, acris, odoris aromatici, fragrantis quasi faeniculi, oleum volatile in distillatione prae ligno cortex praebet. Virtus diuretica, antisyphilitica. Infusum ab ℥ ß ad ℥ j in ℔ j aq. fontis sudorem et urinam pellit si calens sumatur.

D. Pulvis a ʒ ß ad ʒ j. Tinct. a ʒ j ad ij. Olei essent. a gut. ij ad viij. Extract. a ʒ ß ad j.

Externe decoctum admovent ad ulcera antiqua Americani.

Viscum quernum — frutex parasiticus, cujus lignum aliquantum viscosum, adstringens, odor nauseosus. Valde laudatum fuit in epilepsia; in pulvere frequenter et liberaliter exhibetur, superbibito simul ejusdem decocto calido, quando nempe a fibrarum laxitate stipatur. In usum externum venit etiam ubi resolvendum et discutiendum est.

Aurantiorum cortex — suaviter amaricans est. Conditus languentem ventriculum restaurat. Exsiccatus ad drachmam in pulvere datur in uteri haemorrhagiis. Oleum aethereum, quod continet, in corneae opacitatibus maximo cum successu expressum a recenti et maturo cortice adhibui.

Cascarillae cortex — amarus, acris et fragrans est: resina, et oleo volatili scatens. Virtutem tonicam haud mediocrem ostendit multis in morbis atonicis in pulvere ad ʒ ß dato, aut in infuso ad ʒ j, et potissimum in profluviis chronicis, et in haemorrhagiis passivis.

Chinae chinae cortex — Peruvianus etiam dictus a Peru, a quo ad nos advehitur. Mediocriter amarus et adstringens est; principio gummoso et resinoso constans, a quibus *chininam* Chemici nuper eduxerunt. Ejus primus usus, casu cognitus fuit contra febres intermittentes; postea tam multiplex, tamque decantatus in pluribus aliis, atque gravioribus morbis utilis deprehensus fuit tam internis, quam externis, ut divinum fere dixeris corticem. Quinque habentur chinae chinae species: *subobscura*, *aurantiaca*, *rubra*, *flava*, *santa fè*. Corticis variae species in frusta advehuntur in se convoluta, exilia, lineae crassitiem, et digiti longitudinem vix excedentia, extus intense fusco co-

lore praedita, epidermide scabra non raro canescenti ob accretam quamdam lichenis speciem, colore intus cinnamomum referentia, levia; manibusque tentata non discerpuntur in fibras, sed potius franguntur.

Quamvis analogas praeseferant virtutes singulae species, animadvertere tamen juvat *auriantiacam* una cum amaritie saporem aromaticum prae aliis praebere, et ob id in morbis systematis nervosi magis commendari; *rubram* vero, sub-obscura usitatiorem tam amaritie, quam adstrictionis sensu hanc superare; hinc in scorbuto, gangraena anteponi.

Quum peruvianus cortex prae caeteris medicamentis valeat, ad fibrarum tonum, et contractilitatem deperditam restituendam, hinc innumeri sunt usus hujusce medicamenti, sive intus, sive extus adhibiti in morbis chirurgicis. In febri vulneraria quam remittentem vocavit Dumas, tutissimum praestat medicamentum; eoque tutius quando typum intermittentem induit. Eximias vires ostendit in gangraena, seu ad eam coërcendam, seu ad mortuam partem a superstite viva secernendam. Optimum est praesidium in internis, externisque copiosissimis suppurationibus, in sinuosis ac putridis ulceribus foetidam, tetramque saniem fundentibus, in ipso etiam carcinomate aperto, in ossium carie, in passivis haemorrhagiis, in mucosis profluviis, ut in leucorrheis, et inveteratis gonorrheis sistendis, ad totius systematis vires

erigendas a mercuriali curatione labefactatas, vel ab alia quacumque cachexia pessundatas.

Ut singula medicamenta pretiosissima, multis modis administratur cortex peruvianus; vel in decocto, vel in infuso aqua, vel vino, vel alkoole ab ℥ ß ad j. A concentrata decoctione fit extractum, magisterium a gr. x ad xxx; vel etiam nostris diebus paratur sulphas kininae, quod pauca dosi a gr. vi ad xij, partitis vicibus, easdem prodit virtutes. Immo nuperrime ipsius corticis effluvia, casu visa sunt saluberrima ad febres curandas, quibus, intus administrare corticem opus fuisset.

Cinnamomum — odor et sapor est suavissimus ab oleo aethereo cum acredine dulci, a quo virtus ejus medica et usus domesticus. Prodest in singulis iis morbis, in quibus vires ventriculi, et totius systematis sunt roborandae, potissimumque in restaurandis gravidarum, parturientium, et puerperarum viribus collapsis.

D. Pulvis a ℈ j ad ʒ j. Infus. et tinct. a ʒ ß ad ʒ ij. Aq. stillat. ab ℥ j ad iij. Olei essent. a gut. ij ad viij. Extract. a gr. x ad xx.

Citri cortex — idem praestat ac aurantiorum cortex.

Granatorum cortex — virtutem adstringentem habet in collutoriis, gargarismis commendandam. Cortice vero radicis arboris virtutem adesse anthelminticam paucis ab hinc annis probatam, tot faustis initis experimentis, ad taeniam expellendam, nemo amplius est qui dubitet. Duo unciae istius

corticis sumuntur pro duabus libris concentratae decoctionis ciathim sumendis.

Quercuum cortex — virtutem ejus optimam adstringentem ob principium tanninum, quo pollet, exerit etiam in humano vivente corpore, in morbis exterioribus a nimia laxitate stipatis, quibus adstringentia conveniunt.

Sambuci cortex interior — ebullitus, virtutem habet ciendi vomitum; sudorem, et urinas movendi. Hinc in aedematiis gravioribus et anasarca opem tulisse fama est.

Simarubae cortex — a Jamaica et Carolina advehitur. Coloris est albo flavescentis, saporis amaricantis, et adstringentis. Utiliter adhibetur ejus decoctum in chronicis profluviis sistendis intestinorum, et potissimum haemorrhagiis uterinis.

Thymeleae cortex — acerrimo scatet principio recens deglubitus; in talleolas sectus et partibus admotus serosi humoris affluxum, vesiculas excitat: siccatus, aceto infunditur per 24 horas et eadem ratione adhibetur. In chronicis ophtalmiis, scrophulosis praesertim, aliisque inflammationibus ubi assidua instituenda est contra-irritatio, et quibus morbosam in vias urinarias exerunt actionem vesicantia, utiliter in usum vocatur. Ex eo paratur pomatum thymeleae, quo vesicantium promovetur suppuratio.

Winteranus cortex — aromaticus, fragrans, subamarus et acris est. In cachexia scorbutica, singulisque morbis exterioribus ab ea prodeuntibus commendatur.

Agaricus — fungus etiam laricis dictus fuit, quia ad laricis truncos in alpibus colligitur, et *fungus purgans* ab aliis, ab ejus virtute. Resinosam materiem continet, cui tribuenda virtus purgativa et anthelmintica qua pollet.

Paratur ex eo *mel rosatum solutivum cum agarico*, quod cochleatim infantibus exhibetur ad alvum ducendam. Raro praebetur solus. Decoctum pro clystere ad intestinorum motus in hernia ob inertiam prolapsi intestini incarcerata: utpote vermibus infensum intus traditum fuit ad incaute ingurgitatam hirudinem expellendam; vel clysteris forma ad ascarides enecandos.

Bovista seu crepitus lupi — fungus rotundus siccus et levissimus subtilissimum pulverem continens, quo chirurgi usi sunt, utpote adstringenti remedio ad leves haemorrhagias sistendas. Si tamen eodem aliqua est virtus, ab absorptione liquidioris partis sanguinis dependet, ex quo fit ut crassior in coagulum facilius abeat.

Fungus igniarius — fungus figuram pedis equini referens, qui ad veterum quercuum, aliarumque arborum truncos excrescit, mensibus augusti et septembris colligitur et iteratis mallei ictibus, donec mollissima facta sit, praeparatur. Virtus ejus antihaemorrhagica maxime fuit celebrata. Verum, nonnisi

in haemorrhagiis minimorum vasorum fungo fidendum. Caeterum non alia est agendi ratio fungi istius in sistenda haemorrhagia, quam quae de bovista diximus. Ad carcinoma occultum obtegendum foliola adhibentur ob eorum mollitiem. Ex pluribus fungi igniarii foliolis praeparatur *moxa*, quae sat commode gossipii loco, vel molluginis artemisiae adhibetur ob ejus magnam comburendi facilitatem.

Galla — excrescentia fungosa est, quae in quercubus a cujusdam muscae punctionibus oritur. Vim habet austeram manifestissimam, quae efficit ut externe in epithemate ad uteri, et intestini recti prolapsu utiliter adhibeatur, nec non iis omnibus affectionibus, in quibus adstringentia potentiora requiruntur.

Gossypium herbaceum — ad hanc classem vix referendum, est notissima lanugo vegetalis absque odore nec sapore, qua utimur praesertim ad medicamenta dentibus et auribus applicanda. Illico admotum in ambustis, dolorem sedare, inflammationem praecavere, vel moderare casus detexit, et experientia comprobavit.

Balsamum de copaiva — colorem habet ex albo flavescentem, odorem fragrantem, saporem acrem, amarum, aromaticum, quod ex sauciata arbore stillat. Tunc temporis in vulneribus utebatur ob ejus virtutem quam vulnerariam dicebant. Nostris temporibus Chirurgia partium cohesiónem a peculiari exsudatione partium inflammatarum jure repetit.

Interne convenit in ulceribus renum, vesicae, et uteri, in fluore albo, in gonorrhea a ℨ ß ad ℨ j in vitello ovi, vel una cum gummi arabico. Immo majori dosi nuperrime a Delpech, aliisque, utpote specificum remedium in gonorrhea pertinaci et in catharro vesicae chronico commendatum fuit, addito opio ut ejus virtus purgativa cohibeatur.

Balsamum peruvianum — cujus variae species sunt: *album* liquor pallidi coloris, odoris benzoini, saporis acris, amaricantis, consistentiae mellis liquidi ex arbore vulnerata fluens. *Nigrum* quod extrahitur coctionis ope, saepius factitium: liquor est coloris ex rufo ad nigrum vergentis, odoris fragrantissimi styracis et benzoes, saporis subacris.

Minus usitatum est balsamum Tolutanum, cujus virtus caeteris analoga. Pares effectus praebet cum balsamo de copaiva.

Storax liquida — ex arbore Americana stillat substantia resinosa, tenax, grisea, acris, fragrans,

quam alii factitiam dicunt. Intus virtutem calefacientem, balsamicam, et roborantem habet. Frequentior tamen usus est in unguentis, et emplastris, quibus ulcera putrida, gangraenosa, quae per decubitum fiunt, medentur.

Terebinthina — resina viscosa, tenax, melleae consistentiae, saporis acris, amari, odoris specifici; cujus sunt variae species: *communis*, quam fundunt varii pini sylvestres. *Veneta*, quae magis pellucida et clara quam trunci laricis stillant. *Vera*, seu Cypria, seu Chio, quae ita rara est ut ad nos non perveniat, nisi adulterata.

Residuum resinosum, quod a purae terebinthinae destillatione obtinetur *colophonia* vocatur, iisdemque usibus ac caeterae resinae usurpatur.

Natura omnium calefacit, discutit, urinas movet, ulcera interna expurgat. Tabe ulcerosa convenit; in inveteratis alvi fluxibus; in doloribus arthriticis et podagricis: gonorrheis aliisque fluxibus mucosis medetur. Sumitur intus cum vitello ovi aut melle, aut cum gummi arabico in pillulas redigitur additis pulveribus demulcentibus, aut adstringentibus a gr. x ad ʒ j. Urina inde odorem violaceum acquirit. Una cum cera praecipuorum ceratorum compositionem ingreditur; ita et unguentorum, quae digestiva solent vocari.

Anime — resina ex arbore Brasiliensi: friabilis, coloris ex albo lutei, quodammodo pellucida, odoris grati.

Usus potissimum externus ad suffitus et ad emplastra in affectibus catharrosis, et rheumaticis, nec non paralyticis membrorum.

Benzoe — resina dura, fragilis, grumosa, grati et subdulcis saporis, odoris suavissimi. Tinctura in aqua, celebrem lotionem cosmeticam efformat. Per sublimationem obtinentur *flores*, quibus tribuitur virtus pectoralis ad feram tussim, et ad capitis dolores leniendos.

Camphora — est substantia fragrantissima, acris, amaricans, summe volatilis et inflammabilis, sublimationis capax. Non omnimodo resina, sed huic proximior est.

Ob summam ejus penetrandi vim, efficacissima medicina est ad humorum stases resolvendas. Virtutem temperantem et refrigerantem camphorae sunt qui tribuerunt. Verum stimulantem, diaphoreticam, anthelminticam meliori jure alii concedunt. Hinc intelligitur cur in febribus adynamicis et ataxicis commendetur. Caeterum adhuc priores subdunt in podagricis doloribus, in affectubus hystericis et hypochondriacis, in stranguria a cantharidibus inducta valdopere praestare, praecipue

si cum vitello ovis, aut mucilagine quavis, emulsionis forma, porrigatur. Extus vero alkoole soluta in rheumatismo, in ischiade laudatur; resolventibus emplastris miscetur; usurpatur in ulceribus putridis; in ipsa gangraena; in infarctibus glandularum; in angina serosa, similibusque pluribus morbis. Quamvis varia forma, ut plurimum tamen alkoole soluta spiritum vini camphoratum, et oleo olivarum et ammoniaca in *linimentum ammoniacale camphoratum* redigitur. Una cum unguento mercuriali miscetur ut salivatio compescatur, quin ei luem syphiliticam sanandi tollat virtutem, immo intendat.

Elemi — resina cerae flavae colore similis, inclinans ad viridiusculum, saporis modice acris et amari. Interne pro roborante et diuretico medicamento in fluore albo, in diuturna gonorrhea, in doloribus rheumaticis chronicis, quibus etiam suffimenta commendantur. Ad unguentum elemi efformandum ingreditur, cujus virtus exstimulans, detersiva nota.

Mastix — ex variis lentisci speciebus plorat resina fragilis, granulata, pallide flava, fere pellucida, odoris non ingrati, Laudatur in capitis gravitate, vertigine, apoplexia, paralysi, gonorrhea, fluore albo mulierum, in uteri et ani procidentia. In Chirurgia, unguentis digestivis, et emplastris roborantibus, discutientibus additur.

Pini resina — communis resina est, quae in scor-

buto, et in arthritide prodesse, aeque ac abietis resina traditum est. Ex aqua ferventi ℔ ij superinfusa hujus resin. ℥ j, fit *aqua picea*, seu *aq. picis navalis* dicta, sive intus, sive extus, ut balsamica, abstergens, commendata: sub emplastri forma, et in fasciolas secti, in capitis tinea ad capillos e radicibus evellendos inservit, quod praecipuam tineae curationem constituit.

Sandaraca — est resina juniperi. Virtutem habet roborantem, stomachicam, consolidantem, diureticam. Ad suffitus discutientes inservit. Pulvis et tinctura in ulceribus cariosis.

Sanguis draconis — resina est arida, coloris coccinei in glebas oblungas magnitudine glandis disposita. Virtutem possidet adstringentem, hinc in fluore albo, in gonorrhea, in haemorrhagiis albumine ovi subacta adhibetur a ℈ j ad ʒ j. Externe etiam in collutoriis et gargarismis, in unguentis et emplastris usurpatur.

Arabicum gummi — est substantia ex albo flavescens, pellucida, saporis glutinosi. Humores acres corrigit, lenientem virtutem ostendit in tussi, raucedine, lippitudine, ardore urinae. Inspersum hoc gummi commendatur in fissuris mammarum; et in ambustis cum albumine ovi applicatum, vesiculas praecavet, et dolores mitigat.

Elastica gummi — succus est lacteus, qui incisionis ope fluit cortice elatae arboris Americae meridionalis, quae *heve* sive *kaoutchouc* ab Americanis vocatur. Succus Solis calore condensatur, et nigrescit. A caeteris substantiis gummosis differt, quod nec aqua, neque alkoole solvitur, sed aethere vitriolico. Maximi est momenti ejusdem usus in catheteribus, candelulis, nec non pessariis, tubulis flexibilibus conficiendis ad morbos urethrae, uteri, vaginae et intestini recti curandos.

Methodus, qua fabricatores instrumentorum chirurgicorum utuntur, juxta Morellot, haec est. In frustula sectum gummi elasticum in vase ponitur; olei camphorae, illius nempe quod camphorae solutioni acido nitrico factae, supernatat, pars una; et alkool camphorati, partes septem superinfunduntur; gummi prompte emollitur, separatur a fluido cui supernatat, et essentiae therebintinae exponitur.

Gummi elastico ita soluto obducuntur linteola diversimode praeparata; et ita conficiuntur pleraque instrumenta, quae vulgo ex gummi elastico conflata dicuntur.

Kino — est gummi, a sapore aliisque indiciis adstringens judicatum, quod paucis ab hinc annis ad usus medicos invectum fuit, ex trunco arboris Africae erumpens, quo Angli Medici primitus usi sunt iis omnibus in morbis, quibus adstringentia validiora conveniunt.

D. Pulvis a ℈ j ad ʒ j. Decoct. a ʒ j ad ij in ℔ j vel ij aq. font. Tinct. a ʒ ß ad ʒ j.

Olampi — est gummi pallidi coloris, saporis subdulcis, et parum adstringentis. Virtus cum arabico gummi convenire videtur.

Tragacantha — contortam figuram instar vermiculorum refert, coloris vel lutei, et adhuc impura *communis* dicitur; vel albi et *selecta* vocatur. Usus idem fere ac arabici, et promiscue utuntur nostris hisce diebus Medici Galli pro *aqua gummosa* in frequentibus morbis inflammatoriis ventriculi et intestinorum, quae fit ex uncia una gummi in libris duabus aut tribus aquae soluti: syrup. ab ℥ j ad ij.

Ammoniacum — exstillat ex ferulacea planta, nondum bene cognita, quae ex India orientali provenit. Odor gravis et nauseosus, fere alliaceus, sapor amaricans.

Virtutem habet resolventem, pectoralem, purgativam, emmenagogam: a ℈ j ad ℥ j. Tinctura gut. x ad xxx. Solutum vino aut aceto, in cataplasmatibus resolventibus; suffitus ad instar, in glandularum indurationibus, in viscerum obstructionibus, in schirro mammarum laudatissimum. Frequens etiam est usus in emplastris.

Assa foetida — odor admodum nauseosus et foetidus, sapor acris et mordax. Virtutem habet antispasmodicam, antihystericam, anthelminticam, antigangraenosam, a granis ij ad xij et ultra in ovi vitello, aut mucilagine soluta. Externe vix adhibetur; cutim inflammat aceto soluta, et verrucas tollit.

Bdellium — lacrymarum instar plorat ex arbore nondum nota ex Arabia et India. Color fuscus, sapor subamarus. Externe potissimum usurpatur ob ejusdem virtutem resolventem, discutientem, unde in emplastris communis est usus.

Galbanum — odor ei gravis, sapor leviter acris et amaricans. Eligitur ex granis siccis coalitum. Virtutem habet calefacientem, discutientem, maturan-

tem, emmenagogam, antihystericam. Interne commendatur in affectionibus chronicis pectoris, uteri.

Externe vero in ulceribus putrescentibus, cancrosis laudatur. Emplastrum ex galbano abdomini impositum motus hystericos sedare communis opinio est. Ejusdem tinctura in oculorum morbis chronicis nuper laudata fuit.

Gummi gutta — ex arbore Gambogia L. Sapor acris et nauseosus, color e rubro flavescens: validum est purgans hydragogum a granis ij ad vj. Nostris hisce diebus valde fuit commendata in hydrope; dubia adhuc res est utrum conveniat in tumoribus saccatis abdominis quamvis valde fuerit commendata.

Hederae gummi — est lacryma hederae arboreae fusci coloris, saporis aromatici, odoris grati. Virtutem habet resolventem caeteris gummo-resinis communem, minoris tamen usus est. Particula intra cariosum dentem immissa odontalgiam sedat.

Myrrha — ex arbore Africae colligitur adhuc ignota. Amara acris et odorata est, quae puritate differt; et est *electa*, vel *communis*. Virtutem habet stomachicam, calefacientem, roborantem, emmenagogam, alexipharmacam, vermifugam. Interne ejus essentia a gut. ij ad viij; vel ejus substantia pulverata, a gr. vj ad xv; vel tabellae de mirrha sumuntur. Externe suffitus ad instar in paralysi, in gravi oris halitu; in ulceribus putridis, cariosis ejus tinctura adhibetur.

Olibanum — substantia plus minus pura, diaphana, odoris et saporis aromatici modice adstringentis. Virtutem habet roborantem, calefacientem, emmenagogam, balsamicam. Quare in viscerum obstructionibus, atonia, diabete, commendatur.

Externe in suffitibus contra catharros et rheumaticos dolores; emplastris nervinis, roborantibus, et discutientibus addi solet.

In pulvere etiam a ʒ ß ad ʒ j contra erysipelata in gangraenam vergentia laudatur.

Opoponax — amara est, acris, graveolens. Tamquam optimum medicamentum resolvens in asthmate catharroso, aliisque viscerum chronicis infarctubus habetur. Externe inter praecipuas substantias resolventes, discutientes collocatur.

Sagapenum — color ex flavo rufus est, intermixtis subinde particulis albicantibus, sapor acris, odor alliaceus. Virtutem habet analogam galbano, et iisdem usibus adhibetur.

Scammoneum — radix convolvuli incisa, certo anni tempore, lacrymam plorat, cujus quinque partes resinosae sunt; una tantum gummosa. Color nigrescens, sapor et odor acris et nauseosus. Virtutem habet purgantem, drasticam, vermifugam a gr. vj ad xij. Corrigitur sulphure, vel glycirizae pulvere, et tunc *diagrydium sulphuratum*, vel *glycirizatum* dicitur.

Styrax — substantia pinguis, cum tenacitate fragilis,

in informes massas coactas, odoris suavis, saporis subacris, coloris flavescentis.

Virtutem habet calefacientem, roborantem et leviter anodynam.

Externe unguentis *elemi*, et potissimum *styracis* usurpatur, cujus virtus in ulceribus putridis et gangraenosis a decubitu notissima. Inservit etiam in suffimentis.

Aloe — tres habentur aloes species *caballina*: *hepatica* : *succotrina*. Hepatica et succotrina ex eadem planta eliciuntur; caballina vero ex altera specie. Differunt etiam puritate: purissima est succotrina; nigrescit et impura caballina; inter utramque hepatica. Succotrina utimur prae aliis. Sapor singulorum amarissimus, odor nauseosus. Virtutem habent egregiam purgandi ad pauca grana; a gr. IV ad X: menses movendi, vermes enecandi. In gummosa parte residet vis purgativa, hinc extractus aloes gummosus laudatur.

Viscerum obstructiones, haemorrhoidales venas solvit, externe, pulveri ulceribus applicato, virtutem detersivam; ejus tincturae, in cariosis, exfoliativam; in ischiade promptam tribuunt Practici.

Catechu seu terra japonica — succus exprimitur e fructu hujus arboris in Malabaria, et Solis calore ad solidam et compactam massam inodoram, subamaram, redigitur. Virtus ei tribuitur roborans et adstringens; unde in alvi fluxubus, in gonorrhea, in mictu cruento chronico, vesicae catharro, in ulceribus scorbuticis gingivarum in usum vocatur.

Fuligo — substantia oleoso-salina ex combustibilium fumo, fornacis et camini parietibus adhaerens. Odorem habet, saporem nauseosum, amarum; in

aqua et alkoole solvitur, et in ulceribus herpetiginosis chronicis commendatur.

Manna — substantia gummosa, viscosa, ex albo flavescens, saporis dulcis, nauseosi, ex fraxino sponte vel ex vulnere fluens, Solis calore in consistentiam solidam siccata: cujus colore, forma et puritate variae adsunt species; *granulata*, quae in grumis occurrit; *glebosa*, quae in majores glebas compacta lutei fusci coloris, ignobilior habetur; denique quae purissima est, cannarum excavatam referens figuram, *cannulata*.

Alvum blande sine torminibus, at non sine inflatione expurgat ab ℥ ij ad iij in aqua fontis, hordei, aut jusculo soluta. In affectionibus pectoris pituitosis, in iis qui mercurii actioni subjiciuntur, vel etiam in morbis viarum urinae, quibus omnis stimulus ab iisdem est avertendus, commendata.

Una cum oleo amygd. dulcium, conserva cassiae, Syrup. violarum, et manna, aequali dosi, electuarium D. Tronchin conficitur.

Opium — est succus inspissatus ex incisis capitibus vel expressione papaveris sativi, in Asia, paratus, saporis acris et amaricantis, odoris gravis, narcotici. Jam duplici principio gummoso et resinoso constare manifestum erat. Postremis hisce temporibus, principium activum in iisdem detectum fuit, et *morphina* nominatum, quod a principio gummoso: *narcotina* quod a principio resinoso educitur.

A primo una cum acido acetico *acetas morphinae* efformatur ad usum externum ; syrup. morphinae ad usum internum commendatur.

Discrepant inter se Auctores in virtutibus adsignandis opio, alii *stimulantem*, alii *stupefacientem* eidem tribuunt virtutem. Credibile est utramque virtutem opio adsociatam inesse. Adnotare juvat non eosdem, in nobis, producere effectus ac in Orientalibus, qui ejusdem usui sunt assueti; in hisce enim vis exstimulans semper praecedit narcoticae. Apud nos sive intus sumatur opium, sive extus applicetur, vel ore teneatur, vel in anum immittatur, modo sedat absque ullo manifesto alio effectu, modo vertiginem, temulentiam, vomitum, aliaque phaenomena morbosa producit, quibus tantus virium collapsus subsequitur, ut mors non raro consequatur, ni acida vegetabilia, aceticum potissimum, interdum excitato prius vomitu, in usum vocentur. Nondum proinde definitum, utrum in doloribus sedandis inflammatione stipatis, conveniat intus sumptum.

Externe vero levamen praestat in doloribus cujuscumque loci aut partis, jam moderato phlogistico impetu ; eo quod sensibilitatem partis adfectae compescendo, remittit et inflammatio superstes. Nil mirum ergo, si nuperrime, excitata prius in cute vesica, cerat. epispastici ope, illiniri pomatum ex opio, summo cum levamine, in acerbis, et diuturnis doloribus, per recentissima experimenta suadeant Lambert et Lesieur.

In hernia strangulata candelula, ex aa granis duobus opii et extractus hyosciami, illita, et in urethram immissa, virium collapsum, et herniae inde strangulationem solvisse testatur Guerin.

Multa prostant opii praeparata in officinis medicamentariis. Laudanum liquidum, quod a gut. vj ad xij datur. Extractum gummosum a gr. ß ad j. Syrupus ab ℥ j ad ij. Pulvis seu mass. pill. cynoglossi a gr. vj ad xij, qui ex semin. hyosciami, opio, olibano, et croco paratur. *Theriaca*, *mitridatium*, *electuarium diascordii*, *conserva pectoralis*, quae a ʒ j ad ij dantur. Pulvis Doower a gr. v ad x. Morphinae vero qua paratur syrupus, octava aut sexta non plus quam grani pars dari potest; proinde vix morphina, ejusque *acetas morphinae* exteriori usu absque noxae periculo usurpari potest; a tribus guttis *acetatis morphinae* una cum aquae cyatho in anum injectis, cuncta phaenomena, quae a nimia opii dose excitantur, bis vidi.

Saccharum — ex arundine saccharifera colligitur succus dulcissimus, in plus minus siccam consistentiam redactus, varium colorem, et puritatem diversam referens. Multiplices et notissimi ejusdem usus aeconomici et pharmaceutici.

Clysteribus additum stimuli loco inservit. Ulceribus inspersum ea mundificat, detergit, albissimum potissime. Oculis insufflatum nubeculas ac pannos delet. Aphtas infantum detergit. Usus in

suffumigiis notus. Naribus immissum pituitam prolicit.

Vinacea — acinae sunt residuae uvae, expresso succo, odoris vinosi, saporis adstringentis. Virtutem habet roborantem, adstringentem. Ad instar fomenti, aut balnei localis adhibetur in morbis chronicis, atonicis crurum, in paralysi, articulorum laxitate, quae ossium dimotiones subsequitur.

Vini acetum — liquor est acidus a vino fermentato factus, cujus odor fragrans, sapor acidus. Virtutem habet adstringentem, antisepticam, antiphlogisticam. An antihydrophobicam?

Oxycratum, ex aceto et aqua factum, contusiones, echimoses resolvit. Sanguineos fluxus praesertim menorrhagiam, ventri admotum, sistit aut minuit.

Vini sedimentum — in fundo vasorum vinariorum reperitur, odorem vinosum, saporem adstringentem habet, spiritum vini magna copia continet. Virtutem possidet roborantem, adstringentem, resolventem, antisepticam. Iisdem praeterea casibus in quibus vinaceam prodesse diximus, adhibetur.

Vini spiritus — alkool etiam dictus, vini destillatione obtinetur. Odorem et saporem habet fragrantem, calefacientem, virtutem roborantem, adstringentem, stimulantem, stypticam, antisepticam: prout aqua magis orbatur per reiteratas destillationes magis magisque rectificatus dicitur. Spiritus vini camphoratus dicitur si in eo solvatur cam-

phora. Si vinum destilletur in quo herbae balsamicae prius maceratae fuerint *aqua vulneraria.* Sive spiritus vini purus, sive camphoratus, sive aqua vulneraria, magno in usu sunt pro exterioribus violentiis medendis, in quibus nulla sit continui solutio, in contusionibus praesertim, et ubi nullum adsit inflammationis periculum. Inflammatione praesente, cum multa aquae copia dilutum, ejusdem evaporationi quum faveat, ex qua frigoris saluberrima succedat sensatio, ob calorici morbosi detractionem, hinc in inflammationibus externis jure meritoque adhiberi posse cum Anglis Chirurgis credimus.

Vapores spiritus vini accensi, suffitus ad instar, super corpus directi, sudorem movent.

Pro tincturis faciendis inservit ex substantiis iis omnibus a quibus principium resinosum est educendum.

Corallina — stirpis formam praesefert, a polypis maritimas rupes inhabitantibus confecta, quae saporem salinum, acrem ac nauseosum praebet.

Virtus anthelmintica insignis eidem merito tribuitur.

Dosis est in adulto a ℈ j ad ʒ j.

Extus infusum vel decoctum in ulceribus putridis, verminosis, perutile judicatur.

Fucus vesiculosus — planta cryptogmama, a qua principium peculiare educitur, quod *jodium* nuncupatur; sub forma gazosa in aqua *acidum idrojodicum* constituit, quod una cum potassa seu alkali minerale *hydrojodatum potassae*; quo, juxta Coindet in strumae curatione pomati ad instar a ʒ ß ad ʒ j, in quaq. adip. ℥ j prae aliis praeparatis utendum. Tinct. a gut. x ad xxx; eadem dosi solutio hydriodati potassae datur; syrupus ex tinct. vel solutione factus ab ℥ ß ad j in viscerum infarctubus; sed caute periculo enim non vacant.

Helminthocorton — ex algarum familia, ex genere *fucus* est. Super scopulos et rupes prope Corsicae insulam reperitur. Virtutem anthelminticam analogam corallinae habet. Iisdem enim constat chemicis principiis nempe muriate sodae, sulphate, phosphate, et carbonate calcis, magnesia, silice, ferro etc. Qui calculo laborant vesicali, quum

vermibus sint obnoxii, hinc corallinae aut hemilthocorton usu per plures dies praeparantur ante lithotomiae operationem.

Nuperrime Doct. Farr ad schirrosos solvendos tumores ex felicibus experimentis in Corsica habitis commendavit infus. a ʒ ij in ℥ viij aq. fontis.

Lichen — multiplex lichenum familia, quorum usitatiores sunt *islandicus* et *pulmonarius*. Prior quod copiosissime ab Islandia provenit, sed frequentissimus quoque apud nos in montanis sylvis, maximeque Subalpinis terrae et lapidibus innascens occurrit. Pulmonarius ab usibus, quos praestare creditur in pulmonum morbis dictus fuit, et qui quercubus innascitur magis aestimatur. Magnam mucilaginis copiam continet primus, una cum leviter amara et grate adstringenti substantia. Hinc in phthysi, aliisque consumptivis morbis utpote medicamentum et alimentum commendatissimus. Alter ob majorem adstringentis principii copiam in haemopthysi, in nimio mensium fluxu, aliisque *profluviis* aqua decoctus praeberi solet.

Decoct. ab ℥ ß ad j in aq. font. ℔ iij ad consumpt. tertiae partis. Gelat. ab ℥ j ad ij.

Spongia marina — est ultima fortasse inter plantas, vel ut alii malunt primum ex animantibus. Ex mari mediterraneo ad nos advehitur, super scopulos et rupes quibus adheraescit, collecta. Ex Tifte experimentis *sal jodium* continere constat, ex

quo intelligitur ejus virtus in strumis curandis, ustione praeparata. Extus, spongia praeparata ope cerae liquefactae, et in foliola disposita, utimur ad fistularum apertionem dilatandam.

— Haec sunt praecipua, quae de vegetabili regno deprompta, frequentiorem in usum veniunt. Misimus quae, novissime proposita, practicorum sanctionem nondum obtinuere: ita ad: ex: misimus *sedum acre* pro carcinomate: *scutellariam* pro hydrophobia: *secalam cornutam* pro difficili partu: *radicem rathaniae* pro haemorrhagiis etc. Ex hisce tamen, quae minus dubiae sunt virtutis, medicamentariis tabulis, locum inveniunt

Classis I. *Animalia integra* (1).

Cancer fluviatilis — cancri succus expressus, quia refrigerat et humectat, tabidis, hecticis, scorbuticis, hypochondriacis prodest. Laudatur etiam in phlogistica intestinorum conditione. Cinis combusti cancri virtutem habet absorbentem.

Cantharis — faetidum est insectum, quod aestivo tempore turmatim venit, et brevi mora apud nos facta, iterum abit in calidiores regiones. Super ligustrum vel fraxinum invenitur, cujus praesentia odor ejus peculiaris nuntiatur. Toti insecto vis acris et urens inest, quam ita promptissime ostendit, sive intus sumatur, sive extus applicetur, ut jure venenorum classi recenseatur. Actionem suam in canales urinarios potissime exerit, et non infrequenter sanguinem cum ardore et inflammatione

(1) Animalia cuncta a Linneo in sex classes disposita fuere: mammalia: aves: amphibia: pisces: insecta; vermes. Unaquaeque in ordines, genera, et species. Ex hisce, ea nos hic tantum recensebimus, quae aliquid medicaminis praestant, et prout vel animalia integra, vel partes, vel eorum producta praebent.

educit; idque contingit non solum ab interno usu ipsius pulveris vel tincturae, sed et cuti applicatus, vel manibus diu contrectatus. In vesicae paralysi valde commendata est ejus tinctura.

Externe adhibentur cum fermento panis emplastri vesicantis nomine; quorum usus ita multiplex est, ut vix morbus sit in cujus aliqua periodo non commendetur, seu ad excitandas fibras, seu ad evacuandos humores serosos, seu denique ad stimuli revulsionem faciendam. Emulsio e seminibus frigidis una cum paucis camphorae granis, commendatur ad morbificam cantharidum irritationem, quae interdum etiam a prudentissimo eorumdem usu excitatur.

Formica — insectum commune, quod odorem penetrantem acidum spirat; oleum aethereum simul vehit, et unguinosum. Distillantur integrae formicae cum spiritu vini, cui, interne, aphrodisiaca virtus tribuitur; externe, contra atrophias et paralyses remedium praebet. Succus expressus ex eorumdem ovis, auribus inditus, in aurium tinnitu et cophosi laudatur.

Hirudo — vermis aquatilis notus, fusci coloris, in aquis stagnantibus habitans, cujus dorsum striatum: maximo in usu venit nostris diebus. Non tantum vasis haemorrhoidalibus ut antiquitus admoveantur, verum quum nulla corporis pars sit inflammationis expers, nulla pariter cui non admoventur interdum hirudines numero xij: xx: et xxx etiam, prae-

sertim posteaquam Medicina, sic dicta, physiologica viget, quae singulornm morborum febrilium causam reponit in alicujus interni visceris phlogosi. Neque minorem utilitatem promittunt in morbis exterioribus chirurgicis; scirrho enim, vel ipso carcinomate aperto, a repetita earumdem applicatione, unaquaque hebdomada, per plures menses, scirrhi sanationem, et carcinomatis mitigationem pluries vidit Treille. Nos vero vix uno in casu, hac methodo carcinoma mitigare datum fuit, quamvis iterum iterumque in usum vocata.

Hirundo — aegre hic hirundinem commemoramus, quamvis antiqui eximiam virtutem huic avi tribuerint. Hirundinum nidus una cum cataplasmatibus circa collum laudatur ad anginas sanandas. Ad eumdem usum oleum hirundinum praebet Pharmacopea Taurinensis.

Kermes — Insectum est, quod coccus etiam dicitur, quodque succo turget coloris coccinei, subamaricante, parum adstringente, qui basim constituit confectionis alkermes, cui virtus stomachica, roborans.

Lumbricus terrestris — vermis reptilis est in terrae visceribus abditus. Recentes cocti, et oleo olivarum infusi oleum lumbricorum terrestrium faciunt, virtute emollienti, leviterque anodina pollens.

Millepes — insectum cui pedes sunt 14 aut 16 et corpus ovale: in obscuris cellis, et contra muros antiquos reperitur. Integra animalia in vino suffo-

cata, vel eorum succus expressus, medicamentum optimum, diureticum, constituunt, ad viscerum obstructiones et hydropem sanandam commendatissimum. Millepedes in furno exsiccati, et in pulverem redacti iisdem in morbis laudantur a ʒ j ad ij. Sunt qui cateraetam incipientem ope millepedum sanatam fuisse adfirmant: vix credibile est; neque magis verisimilior eorumdem virtus lithontriptica.

Rana — ranae carnes, una cum musculis vitulinis, jusculum optimum analepticum praebent tabidis, febre lenta detentis. Sperma ranarum virtutem habet refrigerantem. Hinc aqua ejus stillatitia pro oris collutione in angina et aphtis, una cum melle rosaceo, laudatissima. Laudatur etiam in renum et vesicae ulceribus, et in haematuria.

Rana bufo — mentionem ne meretur faedissimum hoc amphibium? Minime sane; nec excepto ejus pulvere, *aethiope animali* dicto. Si vero adhuc laudatur *oleum bufonum* ut dolores sedans, a caeteris ingredientibus repetenda ejus virtus.

Scorpio — Quid venenati inesse scorpione communis opinio fuit, et remanet. Quid medicamentosi pariter inesse credibile est. Oleum in quo scorpiones extincti et cocti fuerint, illiniendo lumbis et pubi in suppressione urinae, aliquod afferre levamen pro certo tenetur.

Eadem ratione parantur oleum de catellis emol-

liens, oleum vulpinum etc., qui tamen fere obsolevere.

Oleum scorpionum compositum juxta Pharmacopeam Taurinensem in membrorum atonia et paralysi jure commendandum.

Vipera — ex ordine serpentum est, proinde venenata per morsum. Venenum in peculiari quadam glandula pene orbitam sita, secernitur, et in vesica collectum per canaliculos se aperientes in apice dentium caninorum, in parte morsa deponitur. Hinc occlusis foraminibus cera, aut evulsa vesica, innocui redduntur viperae morsus a circulatoribus.

Quae a viperae morsu consequuntur phaenomena haec sunt: pars demorsa intumescit, ingens languor, frigus, anxietas, cardialgia, vomitus biliosi, lypothimiae frequentes subsequuntur, ipsaque mors convulsionibus comitata: contra viperae morsum, alia sunt ad impediendam veneni transmissionem; alia ad corrigendum, seu potius ad fractas naturae vires restaurandas.

Prima obtinetur indicatio, applicatione cucurbitae, scarificatione, potassa caustica, nitrate argenti; sed adnotare praestat homines loca inhabitantes, ubi frequentia occurrunt talia reptilia, praesidia iisdem propria possidere. Inter quae axungia, qua inungitur pars affecta praecipuum est. Intus vero ea omnia conveniunt praesidia, quae diffusibilem stimulum valent diffundere, ut spiritus salis am-

moniaci, theriaca, calor artificialis, quibus subsidiis multae narrantur a cl. Paletta recentissimae sanationes.

Exenterata, detracta cute, capiteque caudaque rejectis, et siccata in officinis servatur, in pulverem redacta. Iecur et Cor siccata et pulverata *Bezoarticum animale* dicuntur.

Sed potissimum laudantur juscula ex ipsius carnibus parata, analepticam refocillantem virtutem referentia, quae etiam specificam vim ostendunt in morbis chronicis cutaneis a lymphae vitiis derivantibus. Hinc in sensuum hebetudine, articulorum atonia prosunt. Paratur jusculum ex dimidia vipera cum unciis sex carnis coxae vitulinae, et perpauca salis quantitate in unciis decem aquae M. B. cocta, dein filtrata, cui ebullienti additur pugillum quarumdam stirpium pro varia indicatione selectarum.

Externe laudatur adeps ut diaphoreticum, resolvens, ac anodinum; fel, ut detergens, ac morbis oculorum opportunum.

Viperae, in morbis chronicis cutis, succedaneos recenset *lacertos virides* (*ramarri*) summus noster Bertrandi.

Castoreum — folliculus est glanduloso-membranaceus oleosa pinguedine repletus, gravis admodum odoris, qui in quadrupede amphibio, castor dicto, pene inguen sub cute protuberat. Folliculus iste in camino fumo siccatur, et usui medico servatur.

Anodina et nervina virtute praeditum est castoreum; unde in morbis convulsivis, in passione hysterica frequentissimi est usus a granis vj ad xij et ultra. Fit alkoole tinctura, quae a guttis x ad xxx datur. Oleum castorei per infusionem, externe, tamquam resolvens, sedativum remedium habetur. Pinguedo folliculorum membranis adhaerens, oleo juncta, ad dorsi spinam illiniendam in rheumaticis chronicis doloribus, paralysi, tremore, aliisque nervosis affectibus a debilitate ortis, prodesse observatio est.

Originem et virtutem habet analogam *Zibethum*, quamvis minus usitatum.

Cervi cornu — ejus rasura gelatinam continet. Hinc jure miscetur decoctionibus et jusculis analepticis, roborantibus. Celebre est decoctum album Sydenhamii, quod fit ex aa unciis duabus cornu cervi calcinati et micae panis, coctis in libris quatuor aquae fontis ad consumtionem quartae partis, colatis, et saccharo edulcoratis. Utilis potio in diarrhaea chronica

Destillatio cornu cervi rubescentem et ammoniacalem liquorem praebet, quem spiritum volatilem cornu cervi dixerunt. Repetitis destillationibus, et cum acido succinico junctus, liquor cornu cervi succinatus obtinetur. Naribus admovetur utiliter in syncope, asphixia, hystericis affectibus.

In usum etiam externum usurpatur eum aliis oleosis substantiis junctum, partes torpentes, paralyticas illiniendo. Oleum quod repetitis destillationibus ex sale volatili cornu cervi obtinetur, *oleum animale Dippelii* dicitur, quod principium ammoniacale continet, quodque sive intus a gut. iij ad xv, sive extus, adhibetur, linimenti forma, in difficillimis morbis, epilepsia, hemicrania, paralysi. Denique cornu cervi calcinati utilitas, in pulvere dentificio, probatissima est.

Medulla ossium — bovinorum praesertim adhibetur. Nullum praebet odorem, saporem mitem, pinguem. In ankylosi a ligamentorum rigiditate, aut a musculorum retractione laudatur. Una cum oleo olivarum, et vino austero ebullita, extemporaneum facit *balsamum* vulgo *Samaritanae*, quo utiliter debilium infantum illiniuntur lumbi

Moschus — substantia est atro-fusca, granulata, fragrantissimi odoris, ut late circumfusam imbuat atmospheram, folliculo coriaceo piloso inclusa, pene umbilicum animalis residens. Velut eximium nervinum, promptum, ac diffusibile jure habitus est moschus, languidis, debilibus, hystericis, hy-

hypochondriacis, melancholicis, ac paralyticis conveniens: percelebris pharmaceutica compositio pulveris Tunquinensium, qui ex aequalibus cinnabaris nativi et moschi partibus, paratur, quique ad scrup. j et bis in die, ad hydrophobiam datur.

Moschus oleo junctus ad dolores partium leniendos; gossypio exceptus, in aures intrusus, ad surditatem, commendatus legitur.

Cera — substantia sui generis in corporibus apium digesta, in apiariis, in favos constructa. Balsamica est, et externe in cataplasmatibus digerit, resolvit, emollit. *Cerata* a cera, quae ipsorum basim constituit, dicta fuere.

Analogam habet originem cera lacca a favis nempe formicarum volantium, vix medici usus.

Ichtyocolla — substantia quae per coctionem obtinetur ex pinnis, intestinis, et cute piscium. Vis febrifuga ei tributa fuit.

Virtutem habet tenues humores incrassandi, acres involvendi, unde in diarrhæa, dysenteria, dysuria praescribitur. Ex ea fit anglica tela cerata serica, communis usus, in levioribus continui solutionibus.

Lac — liquor e mammis animalium emulsus, vix odorus, dulcis sapore, albus colore, consistentia spissiusculus, sponte in cremorem et serum secedens. Quamvis inter analepticas substantias recenseatur lac humanum, vaccinum, caprillum, ovillum, asininum, ad medicamenta virtute simul nutrienti, lenienti, solventi et diuretica referri possunt.

Praeterea serum lactis vaccini, optima est potio diluens, temperans, demulcens, relaxans, veris tempore, et in morbis phlogisticis renum, vesicae,

et uretrhae. Ex cremore lactis fit praeparatum, quod vocant Saccharum lactis, quodque in aqua solutum, potionem priori, virtute analogam, praestat.

Lana succida ovium — ob oleosum humorem, quo est infecta, et ob caloricum quem valet augere, in lentis tumoribus glandularum prodest.

Analogam habet virtutem gossypium, praesertim camphora inspersum.

Mel — succus est dulcis, mediae consistentiae, quem apum industriae debemus, quemque apes colligunt a floribus plantarum. Mel bonum confortat, nutrit, abstergit, mundificat, tussim lenit, alvum blande movet, consolidat, et putredini resistit. Externo usu, in cataplasmatibus, abscessus emollit, maturat.

Porci axungia — virtutem habet lenientem, emollientem, et basim plurium unguentorum et medicaminum externorum constituit.

Analogam habent virtutem omnes fere axungiae, nec excepta viperina, et quae a piscibus educitur; quarum tamen prior, in chronicis rigiditatibus ob vim penetrantiorem; altera ob solventem et detersivam in capitis tinea commendatur.

Sal ammoniacum — est sal volatile, quod in Ægypto ex stercore chamelorum educitur, vel ex fuligine, quia ab ipso stercore combusto provenit fuligo. Habet odorem urinosum penetrantissimum, ita et saporem spiritus salis ammoniaci, qui ab eo educitur.

Sal virtutem habet valdopere activam in resolvendis infarctubus sive interiorum, sive exteriorum partium, ut ex recentissimis Kuntzman experimentis, comprobatum est.

Una cum adipe et floribus sulphuris, unguenti antipsorici adauget virtutem.

Sperma ceti — substantia pinguis, alba, mollis, saponacea, ex peculiari cete liquore parata.

Sumitur intus in urinae difficultatibus, in raucedine, tussi, in aqua hyssopi calida ad affectus pectoris, vel cum oleo amygdalarum dulcium.

Externe vero adhibetur *pomatum spermatis ceti* in fissuris et raghadibus, in ulceribus nimia sensibilitate stipatis.

Tauri fel — liquor saponaceus, amarus, qui stimulat, abstergit et resolvit.

Externe una cum sapone veneto in linimentum redactum, tumores frigidos resolvit, in artuum paralysi prodest. Oculorum nubeculas resolvit, in surditate conducit. Lucii piscis, carpionis, anguillae fel idem praestat, et commode priori substitui potest. Mittimus libenter quidquid de tot aliis remediis scriptum fuit ex animalibus deprompto, nec ipso homine excepto, cujus et axungia, et corium, et cranium, et lac, et saliva et sanguis, et urina olim, immerito, et commendata et laudata fuerunt.

Vitellus ovi — virtutem habet emollientem, lenien-

tem, analepticam. Inservit vehiculi ad balsama solvenda et ore sumenda.

Externe vero, una cum tantillo therebintinae usurpatur, ad unguentum extemporaneum faciendum leniter balsamicum. Ex ovorum vitellis assatis, fit oleum vitell. ov. quo utimur in ambustis, in mammarum, labiorum, et pudendorum raghadibus.

Classis I. *Aquae minerales.*

Aquae minerales, vel naturales, vel artificiales sunt: ita designantur priores, quae principia mineralia secum trahunt a terrae visceribus per quae fluunt; et thermales etiam dicuntur si earum temperies naturalem superet.

Singulae orbis regiones, naturae beneficio, propriis aquis mineralibus scatent, pedemontana prae aliis est dives. Praecipuas aquas minerales naturales tantum recensebimus. Prout principiis sulphureis scatent aquae minerales; vel acido carbonico sunt saturatae; vel ferrum habent solutum; vel magna copia salia continent, sponte in quatuor aquarum species dividimus.

Aquae sulphureae — prout Augustam Taurinorum propiores sunt:

Aqua s. Genisii, cujus principium praepollens est gaz hydrogenium sulphuratum: in infarctubus glandulosis et potissimum in cachexia scroplulosa laudata.

Aqua castri novi, cujus principia praepollentia sunt sal marinum, gaz hydrogenium sulphuratum, et jodium. Hoc tamen proprium esse sin-

gulis aquis sulphureis nuperrima Prof. Cantù tentamina comprobant.

Aquae thermales aquarum statiellarum, (*Acqui*) principiis sulphureis valde divites, super caeteras calidae, una cum lutis, celeberrimae virtutis sunt, in morbis inveteratis, paralysi, aut gravi atonia stipatis, in chronicis morbis articulorum ossiumque a cachexia scrophulosa praesertim fotis.

Thermales Valdieri :

——— *Vinadio* :

quarum priores principium bituminosum etiam continent: alterae mucores laudatissimos alunt.

Aquae Retorbido — prope Iriam (*Voghera*) nostris diebus valdopere ut sulphureae, et jodicae commendatae.

Aquae gratianae — *Aix* in Sabaudia, inter sulphureas, celeberrimae.

Aquae acidulae — in Augustae Praetoriae Ducatu habentur; suntque:

della Vittoria :

della Margherita :

utrique fontes sunt perennes; a priori potissimum desumuntur aquae Curiae Majoris (*di Cormaggiore*; quae virtutem habent efficacissimam refrigerantem, diureticam, deobstruentem, laxativam ob ejusdem acido carbonico saturitatem, saliumque dissolutionem.

Aquae ferrugineae — in ipso Augustae Praetoriae Ducatu, non longe ab acidula habentur:

Aqua *della Saxe*:
— *san Desiderio (près s. Didier)*:
san Vincenzo (s. Vincent):
quae, juxta cel. nostri Gioanetti analysim, salinis, et ferrugineis principiis scatent; unde earum praestantia intus, et extus, balnei etiam forma, priores, in cachexiis.

Aqua marina — vix potabilis est ob salsedinem, et amarorem a solutis salibus pendentem; at egregias vires medicas possidet. Dejectiones movet epota, obstructa viscera et glandulas aperit. Imo una cum frequentibus et iteratis hyrudinibus, in schirri curatione, aquam marinam pro potu commendat Treille. Pro lotione ad psoras, prurigines, et impetigines prodest, ita etiam balnea, ex ea, universalia.

Antimonium — stibium una cum sulphure in fodinis Hungariae, Sveciae reperitur. Inter tot virtutes antimonio tributas, emetica et diaphoretica, eminens est.

Praeparata vero antimonii sunt: — *Tartras stibiatus potassae*, seu *tartarus emeticus*, qui virtute emetica a g. ß ad gr. ij pollet, vel etiam subducenti in morbis oculorum et capitis una cum sale medio in decoctione solutiva, vel in sic dicta *aqua imperiali.* — *Antimonium diaphoreticum*, quod una cum extractis a g. j ad ij in morbis cutaneis chronicis curandis, vel etiam retropulsis revocandis. — *Sulphur auratum antimonii*, quod analogis fere morbis, eademque dosi datur, ac praecedens. — *Vitrum antimonii*, quod inservit ad conficiendum *vinum antimoniale*, infantibus ad paucas guttas, adultis a ℈ j ad ℥ ß. — Ad usum externum venit praeparatum, quod *muriatum stibii sublimatum, butyrum antimonii* dicitur, cujus externus usus in corneae staphylomate, in fungosis ulceribus, in iridis proptosi, pennicilli ope, vel etiam in morsu animalium rabidorum, minus tute tamen quam ferrum candens, adhibetur.

Argentum — metallum, post aurum, reliqua metalla fixitate et ductilitate superans.

Praeparatum ex argento celebre in Chirurgia

est *nitras argenti*, seu *lapis infernalis*, quo non solum ulcera fungosa, excrescentiae commodissime destruuntur, sed recentissimis hisce temporibus, nitratem argenti ad restituendam nerveam potentiam musculis paralysi affectis, experimenta clar. Wood, apud Soc. R. Londinensem habita, escharis, eodem, cervice factis, commendant.

Arsenicum — dira venenata vi pollet hoc metallum. In usum medicum tamen, et chirurgicum vocatum fuit. Varietates istius metalli sunt, *arsenicum rubrum*, seu *realgar*, et *auripigmentum*. Prunis inspersum odorem emittit quodammodo ad allium accedentem, saporem acrem et quasi urentem prodit.

Non defuerunt qui arsenicum adversus quosdam morbos, contra ipsas febres intermittentes proposuere. Ast periculi plenum remedium!

Externe adhibetur pulvis *arsenicalis Rousselot* ex oxid. albo arsen. ʒ j ex cinnabaro pulv. ℥ v; cineris corii usti gr. xviij: sang. dracon. ℈ ij compositus, utpote efficacissimum escharoticum, quo alterum mitius est *magnes arsenicalis*, ex arsenico, antimonio, et sulphure constans, aa partibus aequalibus.

Aurum — metallum, inter metalla primum, ductilissimum; hinc ejusdem foliola pilulis involvendis adhibetur. Postremis hisce temporibus *murias auri* in morbis syphiliticis a Chrestien laudatum fuit; nec desunt observata comprobantia ejusdem virtutem.

Cuprum — metallum rubicundi, splendentis coloris, ab aëre et aqua aeruginem contrahens; æs etiam, seu *venus* dictum fuit.

Inter venena potentissima *oxidum cupri* recensetur; non desunt tamen qui in usum internum audacter vocare ausi sunt. *Oxidum cupri ammoniacale*, interno usu, in epilepsia, — *cuprum aceticum*, seu *flores viridis æris*, externo usu, unguento Apostolorum, Ægyptiaco venit; quae unguenta in ulceribus fungosis adhibentur. — Ea quae parietibus fornacum tumens, adhaerescit fuligo, in ære cum igne tractando, *pompholix*, seu *tuthia* vocatur, quae in morbis chronicis oculorum valdopere commendatur. — *Aqua sapphirina*, seu *ophtalmica caerulea*, æs quoque recipiens, in morbis chronicis oculorum laxitate vasorum stipatis, commendata est. — Interdum aqua laudatur, qua nummum aerosum fuerit ad tempus immersum, ob virtutem adstringentem tonicam quam acquirit.

Ferrum — metallum durissimum, quod *chalybs* etiam dicitur aut *mars*: magni est usus in therapeutica.

Virtutem habet tonicam, aperientem, emmenagogam. Hinc martialia, opportuna censentur in amenorrhaea, in chlorosi, in menorrhagia passiva, quae ab uteri vasorum laxitate, fractoque robore orta sit, uti et in leuchorraea, aliisque morbis istius naturae.

Varia sunt praeparata ferri: *scobs ferri non rubiginosa* a gr. v ad xv. — *Oxidum ferri nigrum* seu *aethiops martialis* — *Tartarum ferri cum potassa*, seu *bolus martis*: a gr. v ad xv. — Aqua, vino, vel alkoole solutus *tincturam martis tartarisatam* constituit. — Praeterea *ens martis* seu *flores salis ammoniaci martiales*, qui a granis iv ad xij in allatis casibus, et praesertim in cachexia rachitica dantur.

Utilissima denique est martis praeparatio, quae *vinum chalibeatum* dicitur; sumitur dosi ℥ ij singulo mane.

Mercurius vivus — *hydrargirum* etiam dicitur, liquor mineralis qui ab Hungariae et Bohemiae mineris educitur; maximam gravitatem referens, argento fuso simillimus: vel actu currens in fodinis reperitur, et *virgineus* dicitur; vel una cum sulphure commixtus et *cinnabarum* vocatur.

Optimum praestat medicamentum ad luem syphiliticam debellandam, nec non in morbis cutaneis chronicis. Hinc multa sunt mercurii praeparata seu interna, seu externa.

Interna usitatiora sunt: *mercurius gummosus Plenk*, qui fit per mercurii in mucilagine gummi arabici extinctione: a ℈ j ad ij. — Syrup. e mercurio gummoso, qui etiam D. Plenk vocantur. — *Mercurius dulcis* seu *muriatum mercurii mite*, quod sal est ex acido muriatico et merc. factum: a gr. v ad x. — *Mercurius solubilis Haneman* seu

hydrargirum oxidulatum nigrum, quod est levis oxidationis gradus: a gr. ij ad vj. — *Mercurius praecipitatus ruber*, seu *hydrargirum oxidatum rubrum*, quod est maximus oxidationis gradus acidi nitrici ope. — *Æthiops mineralis*, quod fit ex mercurii et sulphuris p. aeq. mixtione: a gr. x ad ʒ ſs. — *Mercurius praecipit. albus*, seu *hydrargirum oxidatum album*, quod est intensus oxidationis gradus ope acidi muriatici peractae. — *Mercurius sublimatus corrosivus*, seu *hydrargirum muriaticum corrosivum*, potentissimum praeparatum omnino solubile, sed periculi plenum, ni prudentissime administretur. Magno in usu est apud Clinicos Parisienses: gr. ſs in quaque ℥ j spir. frumenti rectificato, liquorem Vanswietem constituit, cujus cochlear adultis, ad summum duo, dantur in die, potando simul largam copiam decocti emollientis. — Huic, virtute et vi accedit *prussias mercurii*, qui fit mercurii cum acido prussico commixtione, quodque juxta nostrum cl. Bonvicino inventorem, in aqua solutum et mica panis mixtum, et in pillulas efformatum, quae singulae octavam grani partem contineant, propinatur, in pertinacibus infarctubus a lue syphilitica prognatis.

Externa praeparata sunt: *unguentum mercuriale*, quod fit per extinctionem mercurii in adipe suillino, olei amygdalini paucis interdum additis guttulis. — *Unguentum mercuriale rubrum*,

quod fit per mixtionem mercurii praecipitati rubri una cum adipe aut unguento, efficacissimum remedium — citrinum, ex mercurio, acido nitrico extincto, et adipe. — *Pomatum Clarke*, quod fit per mixtionem mercurii dulcis cum butyro communi aut cacao, quo intus illiniuntur gingivae et buccae. —*Pomatum Cirilli*, quod fit per mixtionem mercurii sublimati corrosivi cum adipe, quoque plantae pedum illiniendae ex Auctore sunt. — Ex merc. sublim. corros. fiunt quoque, ad usum externum, trocischi una cum amylo, et pauca mucilagine gummi adragantis, qui *escharotici*; et cum oxido plumb., seu minio, et medulla panis qui *de minio* dicuntur. — Fiunt etiam emplastra seu cerata mercurialia, ut *de Vigo*, *diabotanum cum mercurio* etc. — Denique fiunt suffitus ex cinnabaro nativo et olibano aut floribus sulphuris.

An memorandum mercurii cum jodio connubium, quod *sub-jodurum* aut *jodurum mercurii* constituit? A componentibus optimum esse remedium in syphilide, cachexia praesertim scrophulosa complicata, argui potest; at nondum satis explorata virtus.

Plumbum — metallum omnium maxime malleabile, saturnum etiam dictum, ex quo proveniunt cerusa, minium, lythargyrium; quorum usus frequentissimus externis in morbis. — *Acetas plumbi* seu sal liquidum, *extractum saturni* dictum; — vel si solidum, *Saccharum saturni*, ex acido

acetico et plumbo factum, nuperrime in usum internum in phthysi, in hydrophobia vocatum. — Plumbum ustum et pulveratum in ulceribus cancerosis commendatum.

Plumbum ejusque praeparata vi adstringenti, refrigeranti, sedativa, imo controstimulanti pollere certissimum est; hinc celebratissima *aqua*, quae *Goulard* nomine, designatur, vel *aquae vegeto-mineralis*, utpote ab eo laudata; quamque jure cl. Bonino in ejus Biografia nostro tribuit Guainerio, quam ab anno 1402 vulgaverat sub nomine *lactis virginalis*, eo quod *acetas plumbi* in aqua, eam albam, lactis instar, illico reddit, vegeto-mineralis aqua dicta fuit, quia acetati plumbi aqua commixto, tantillum spiritus vini additur. Adhuc in aliquo sunt usu: unguentum minii: cerusae: lythargirii, utpote virtute sedativa, exsiccanti pollentia.

Stamnum — metallum molle, album, omniumque levissimum, ex quo vasa cuprea ad usum culinarium intus obducuntur; *stamni oxidum* ad taeniam laudatur.

Ex stamno et plumbo data proportione mixtis, conficiuntur cilindrica corpora, ad urethram obstructam reserandam, quibus, prae aliis medicamentosis candelulis, utitur Anglica Chirurgia.

Alumen — sulphas aluminae in cristallos octaedras regulares concretum, naturaliter reperitur, vel arte paratum. In aqua frigida, potius quam calida, solvitur. Saporis est adstringentis et styptici.

Tam interno, quam externo usu maxime fuit commendatum; sed potissimum in oris, narium, oculorum, urethrae, vaginae, intestini recti affectionibus, a nimia laxitate proficiscentibus, quoties cohaesionis vis est augenda, in haemorrhagiis passivis etc. In ulceribus atonicis vel *aqua*, vel *vinum aluminosum* adhibetur. Ustum vero ad excrescentias destruendas blanda ratione agit; hinc utimur ad fungositates compescendas, quae a fonticulis pullulant.

Interne datur alumen a gr. v ad x, et nuperiora experimenta ejus virtutem stypticam in internis haemorrhagiis plane demonstrant.

Argilla cretacea — ad terras refertur bolares in orbiculos formatas, et sigillo diverso notatas, pro locorum differentia, a quibus adveniunt; hinc dicuntur etiam, ob id, *terrae sigillatae*, suntque coloris rubri, albi, flavi, fusci.

Virtutem iisdem tribuunt adstringentem, stypticam, sed nunc hodie, in tanta medicamentorum copia, tutiora seligimus; et vix in usum externum vocantur, ubi adstringens, et exsiccans desideratur virtus.

Bolus — variae sunt species argillae, quae hoc nomine veniunt: *bolus alba*: *bolus armena*: et *bolus rubra*.

Virtutem habent exsiccantem, et rubra adstringentem; quae propterea iisdem usibus ac terrae sigillatae inserviunt. Bolus armena ingreditur compositionem *pomati Janin* una cum tuthia praeparata, aa partibus aequalibus, merc. praecip. alb. dimidia pars, cum axung. suill. aq. rosar. pluries lota.

Calx — lapis est calcareus, qui igne ustus, *calcis vivae* nomen obtinet. Una cum auripigmento *pasta* fit *depilatoria caustica*. E calce viva, aqua infusa habetur. Aqua calcis diluta cum jusculo multis in morbis proficua, et potissimum in viscerum obstructionibus, in cachexia scrophulosa: ab ℨ j ad iij.

Externo usu, siccat, adstringit, et partibus gangraena affectis, et ulceribus impuris adhibetur. Futilis est divisio *aquae calcis* in *primam*, et *secundam*, quum prior, ipsius calcis non ultra datam quantitatem solvere, et solutam tenere possit.

Lapis calaminaris — substantia lapidea, quae a Polonia, et Hungaria advehitur.

Virtutem habet exsiccantem et adstringentem, qua pollet *unguentum lapidis calaminaris*. Inspersione pulveris, intertrigo infantum tollitur, in lippitudine prodest.

Magnesia — una cum acido sulphurico conjuncta reperitur in aquis quibusdam sub nomine *salis*

amari, salis anglici, seu potius *sulphatis magnesiae*. Ex ejus solutione in aqua pura, et ex mixtione solutionis carbonatis potassae, obtinetur *magnesia salis amari*, seu *magnesia carbonica*, quae postrema, igni subjecta, dat *magnesiam calcinatam*, seu *magnesiam ustam*. Haec autem virtute pollet absorbendi acidos humores ventriculi, cum quibus conjuncta, laxativam virtutem acquirit.

Sulphur — substantia flavescens magis inflammabilis ex omnibus corporibus inflammabilibus, quae in Helvetia vulgaris est.

Interno aeque ac externo usu adhibetur. Actionem ostendit energicam in lymphaticum systema, et ad cutis organum excitandum, ad perspirationem augendam. Ab eo suam recipiunt virtutem *aquae minerales sulphureae*, quae potui et balneorum usui inserviunt in chronicis morbis cutis etc. Hinc *unguenta* et *cerata sulphurata* iisdem in morbis et scabie praesertim utilissima.

Intus vero sumuntur flores sulphuris a granis x ad xx: — vel tabellae ex iisdem confectae. — *Balsamum sulphuris* praeterea in officinis prostat *anisatum*, aut *succinatum*; quod nihil aliud est nisi sulphur cum volatilibus oleis, coctionis ope, conjunctum, quod dosi guttarum x ad xx exhibetur. — Huc sunt referendae *pillulae balsamicae Mortonii*; — suffimigationes ex floribus sulphuris in morbis cutaneis, ipsaque scabie, nostris diebus vulgatissimae.

De arte concinnandi medicamentorum formulas.

Non ita facile est, ex innumera medicamentorum farragine, ea seligere, quae, haud repugnante ipsa rerum natura, scite inter se componi, et in aegrotorum salutem, et minori cum fastidio praescribi ac propinari queant.

Leguntur siquidem in Pharmacopeis remediorum innumerae formulae; has tamen, pro re nata mutare, morborumque adjunctis aptas reddere veri Medentis est.

Ex multis prudentibusque praeceptis a praeclaris Scriptoribus traditis super hanc rem, nonnulla, in nostrorum tyronum gratiam, in medium afferemus, ne in absurdas compositiones abeant formulae, et poetae satyram moereantur.

Frigida pugnabant calidis, humentia siccis, mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.

1.° Inquirendum antequam remedium praescribatur, utrum reapse necessarium; quum optimum remedium interdum sit, nullo uti remedio; id quod, in morborum curatione, ex morbi caussis et natura eruendum.

2.° Ubi perspicua indicatio medicamenta expostulet, simplicia compositis praeferenda, et ratione

materiei, et ratione formae, nec non ipsius formulae.

3.º Quando composita requiruntur medicamenta, satagendum est, ne unius componentis vis, alterius destruat virtutem, vel etiam alienam acquirant indolem haud convenientem.

4.º Indigena, si eamdem habeant virtutem, exoticis anteponenda, eo quod minus fraudibus et corruptioni sunt obnoxia.

5.º Medicamenta nova, nec satis explorata, circumspecte admodum adhibenda, maximeque si idem effectus aliis obtineri potest.

6.º Si minoris pretii remedia ejusdem sunt efficaciae, a praetiosioribus est abstinendum; divitum tamen luxui aliquid dandum: ex pretio enim persaepe remedii vis existimatur.

7.º Ingratus, molestusque substantiarum odor, et sapor, cum aliis arte immixtis corrigantur, quin tamen earum virtus immutetur.

8.º Licet quoque pia fraude alio nomine designare medicamentum, quod abhorreat aeger, aut occultandam morbi indolem detegat; natura enim repugnante, medicina minime proficit, omnique cura et prudentia servandum, quod est taciturnitati concreditum.

9.º Interest valdopere scire, qua forma largiendae sint substantiae; an in pulverem redactae, an in decocto, vel infuso, vel extracto; pro varia enim forma, varii obtinentur effectus.

10.° Sunt medicamenta, quorum dosis, haud impune augeri potest; quod de efficacioribus singulis evenit. Hoc in casu, a modica dosi incipiendum, et nonnisi sensim, sensimque ad majores progrediendo.

11.° In praescribenda medicamentorum forma, interdum interrogandus est aeger, quamnam amet aut horreat, cuinam adsuetus.

12.° Alia prae aliis sunt tempora, in quibus vegetabilia magis valent. Turpe esset plantam recentem viridem praescribere, quae jam dudum emarcuisset.

13.° Variam pariter diversorum tam simplicium, quam compositorum consistentiam cognoscere debet Medens, ut rite medicamenti formam, mensuram, vehiculum accomodare sciat; sunt enim quae liquidam potius amant formam, alia siccam, alia pillularem, ut palato gratiora, ac jucundiora fiant.

14.° In praescribendis remediis, simplicitati quammaxime studendum; qui enim longas remediorum formulas praescribit, aut dolo peccat, aut ignorantia.

15.° Qui miscet contraria contrariis, aegrum, Pharmacopolam, et se ipsum pessumdat.

16.° In medicamentorum praescriptione, aetati, sexui, temperamento, anni tempestati, caeli conditionibus, tum aegrotantis idiosyncrasiae, atten-

dendum tum quoad formulae speciem, tum maxime quoad dosim.

17.° Recordanda hic est aegrorum facultas adsuescendi remediis. Ex quo fit ut eadem saepe manente indicatione, praestet non tantum augere dosim, sed in alterum aequipollens commutare remedium.

Hisce praemissis de formularum ratione dicendum.

Descriptio medicamentorum rationalis, ut Pharmacopola ea possit parare, *formula* dicitur, cujus initium est litera R, scilicet *recipe*; vel P. *paretur*; quibus signis, aut vocabulis, quae sumere in officina sua debeat, aut parare, Pharmacopolae praescribitur.

Quaelibet substantia singulari linea conscribenda, ea ratione, ut quae, specie ac natura conveniunt, sibi mutuo proxime subjungantur, ita folia foliis, radix radici, aqua aquae ect.

In formulis compositis sunt saepe consideranda, sequentia elementa: *basis*, *adjuvans*, *corrigens*, et *constituens*.

Substantia, quae ob virium intensitatem prae aliis eminet *basim* efficit; quae hujusce actionem adjuvat, *adjuvans*; quae ejusdem temperat vim, odore aut sapore larvatis, *corrigens*; *constituens* dicitur, quod basim excipit, debitamque consistentiam ipsi impertitur; hoc ubi liquidum est, *vehiculum* vocatur. Distinctus et clarus esse debet

modus, quo designantur ingredientia formulae, eorumque pondera et mensurae; si plura sint aequali quantitate praescribenda, vocabulo *ana*, vel *aa* utendum, quod indicat singulis illis tantundem esse recipiendum.

Definitis formulae substantiis, earumque ponderibus, addenda *manuconfectio*: quomodo nempe formula paranda, exhibenda, aut applicanda; hinc subjicitur M., seu *misce* si plura sunt commiscenda; vel *fiat infusio*, *bolus*, *decoctum*, *emulsio*, *unguentum*, massa in pillulas reducenda ponderis dati etc.: interdum Pharmacopola monendus, ut jam paratum medicamentum in varias aequales doses dividat.

SECTIO QUINTA

De praecipuis operationibus et praeparationibus pharmaceuticis.

Praeparata pharmaceutica alia dicuntur *officinalia*, quae nempe in officinis parata servantur; alia dicuntur *magistralia*, quae ex tempore quasi a manu magistri Pharmacopolae, praeparantur, prout sunt praescripta. Ad praeparata tum officinalia, tum magistralia, plures a Pharmacopola requiruntur *operationes pharmaceuticae*, quae tamen ad quatuor species reduci commode possunt. Suntque *divisio*, *eductio*, *mixtio*, *commixtio*:

Ad *divisionem* pertinent sequentes:

Disruptio, quae est solutio cohaesionis, seu *contusio*, corporis mollis, in mortario.

Sectio, quae est reductio corporis in minutas partes per instrumenta apta secantia.

Granulatio, quae est reductio metalli fusi in globulos, illud per vas perforatum trajiciendo.

Rasura, quae est reductio in lamellulas corporum solidorum scobinae, vel vitri ope.

Trituratio, quae est minuta corporum fractura in mortario.

Pulverisatio, quae est corporis duri reductio in pulverem in mortario.

Porphyrisatio, quae est corporis duri reductio in subtillissimum pulverem super porphyreticum marmor

Ad *eductionem* spectant:

Expressio per quam liquida per mechanicam vim a solidis succulentis exprimuntur.

Clarificatio per quam a liquidis corpora heterogenea separantur; quae vel quietis obtinetur; vel per calorici actionem; vel per albuminis ovorum aut gummi cujusdam additionem, eorumque filtrationem.

Filtratio per quam corpora liquidis admixta, et suspensa, ope chartae emporeticae, lanae, vitri pulverati, arenae, aut gossypii tolluntur.

Defusio per quam liquida e vaso in vasum

transfunduntur, inclinationis ope prioris vasi, ita ut sedimentum remaneat in fundo.

Lotio per quam solida corpora in fluidis agitata, substantiis heterogeneis orbantur, mundantur, vel quietis ope, corpora aliena liquido admixta, sponte separantur; quaeque vel suspensa, utpote leviora remanent, vel graviora fundum vasis petunt.

Praecipitatio per quam molleculae corporis suspensae, in aliquo menstruo, in fundo vasis praecipitantur.

Effervescentia est liquidi intimus motus, per quem, substantia gazosa extricatur.

Lixiviatio per quam salinae substantiae, a reliquis heterogeneis substantiis segregantur.

Torrefactio per quam corpora solida, in aptis vasis, moderato igni exponuntur, sive ad humiditatem dissipandam, sive ad eorumdem naturam immutandam.

In calcem redactio per quam ardentis calorici ope, lapides; salia, metalla in calcem rediguntur.

Cristallisatio per quam corpora solida liquida facta, dum iterum solida fiunt, formam peculiarem et symmetricam acquirunt.

Infusio per quam corpora, aqua, vino, vel alkoole mersa, dato caloris gradu, propria concedunt principia.

Maceratio dicitur si infusio absque calore, et per longum tempus fit.

Decoctio per quam corpora liquido mersa, per

ebullitionem, eorum principia subtrahuntur; haec autem, vel *levis*, quando ebullitio nonnisi ad quartam horae partem perdurat, quae etiam *ptisana* dicitur; *mediocris*, quae ad horam integram; *fortis* vero, quae ad duas, vel tres horas protenditur.

Emulsio, ab emulgendo dicta, est potio lacteum colorem, et lactis spissitudinem referens ex seminibus, nucleisque oleo divitibus parata, aquae affusione.

Extractum dicitur substantia concreta, quae elaboratione pharmaceutica separatur a variis corporibus, in quibus illa commixta, et diluta sistit, et ita quasi pura, ideoque maxime actuosa obtinetur.

Jusculum vero, quum ex carnibus, vel aliis animantium partibus nutricia educuntur elementa coctionis ope in aqua; quod si magis diutina coctione ad majorem spissitudinem reducatur, jusculum consummatum dicitur; gelatina demum appellatur, quando jusculum ex gelatinosis animalium partibus, praecipue paratum, ad tantam reducitur spissitatem, sufficientis coctionis ope, ut refrigeratum abeat in corpus consistens, et sat solidum.

Evaporatio per quam, ignis ope, liquidum in vapores reducitur, substantias magis fixas in fundo vasis relinquendo; quae vel leni calore, lenteque; vel intenso, et prompte peragitur. Haec postrema vocatur:

Vaporatio cujus tres habentur species :

Sublimatio, quando corpus solidum calorici ope, in tenuissimas molleculas adactum, istae sursum elevantur, et parietibus vasis adhaerescunt.

Distillatio, quando fluida in vapores, calorici actione, adiguntur, et sursum elevati, et mutata temperie, fluidam naturam iterum acquirunt.

Variae habentur distillationis species, vel *sicca*, vel *humida*, vel *nudo igni*, vel *mariae balneo*.

Gazificatio, quando corpora naturam gaziformem acquirunt, et retinent.

Ad *Mixtionem* spectant omnia fere praeparata officinalia, quae indicatis pharmaceuticis operationibus conficiuntur, ad quae sequentia referuntur :

Æther (1) est medicamentum liquidum, admodum volatile, et suave olens, quod ex alkoole, et pluribus acidis speciatim mineralibus conflatur.

Apozema (2) est decoctum ex variis simplicibus paratum, et saccharo, aut syrupo edulcatum.

Auricularia, quae sub forma seu solida, seu fluida, ad morbos aurium, in aures immittuntur, linteorum carptorum, gossypii, aut piscis cujusdam lanuginis ope.

---

(1) Æther αἰθὴρ ex verbo αἴθο accendo. Revera ista medicamina facile accenduntur.

(2) Apozema ἀπόζεμα decoctum ab ἀπόζεω fervefacio.

Bolus graece βῶλος dicitur solidum medicamentum, quod una vice glutiri potest.

Cataplasma est medicamentosa puls, quae calida plerumque, et linteo panno involuta aegris partibus imponitur.

Ceratum medicamentum est ita dictum ex eo, quod cera ejus praecipuam substantiam constituit. Id tantae tenacitatis est, ut non nisi igne prius mollitum extendi super linteum, aut alutam possit.

Cereoli sunt corpora cilindrica, candelularum ad instar, ex frustulis linteis cerato obductis et convolutis facta, una parte crassiores, altera tenuiores, crassitie varia, quibus utimur ad obstructiones urethrae superandas.

Clyster, *clysterium*, *clysma*, vel *enema* (1) fluidum etiam medicamentum appellatur, quod per corporis hiatus intra partem aliquam injicitur; vulgo autem significat ejus injectionem in rectum intestinum.

Collutorium dicitur medicamentum, quod sub forma semper liquida in usum vocatur pro variis oris affectionibus, ad fauces, nec non ad os colluendum.

---

(1) Clyster χλυστὴρ ablutio a verbo χλύζω abluo. Enema ἔνεμα id, quod infunditur, immittitur ex ἐν in, et ἕω mitto.

Collyrium (1) nunc temporis dicitur medicamentum aut liquidum, aut solidum, cujus applicatione oculorum morbis opitulamur.

Confectionis nomine nostro aevo intelligimus cardiacum, sive incitans electuarium.

Conserva est massa praesertim ex floribus, herbis, fructuum pulpa, et saccharo artificiose confecta, quae ita conservationi apta evadit.

Electuarium, electarium etiam vocatum medicamentum est conserva mollius, et plerumque constans ex medicamentis durioribus in pulverem redactis, una cum syrupo, melle, aut alia melliginea substantia accurate commixtis.

Emplastrum (2) est quid cerato simile, sed minus tenax.

Epithema (3) apud recentiores medicamentum liquidum significat, quod panno, spongia, linteo, stupa exceptum parti alicui apponitur. Apud veteres denotabat medicamentum externum, compositum vel ex ceratis, vel emplastris, vel unguentis super partem aliquam etiam imponendum.

---

(1) Collyrium κολλύριον quasi ex κωλλύω sisto, arceo, et ῥοὴ fluxus, ut sit remedium sistens fluxum generatim.

(2) Emplastrum ἔμπλαστρον ab ἐμπλάττω subigo, versando mollio.

(3) Epithema ex ἐπὶ super, in, et θέμα positio; valet ideo impositio.

Extractum dicitur substantia concreta, quae elaboratione pharmaceutica separatur a variis corporibus, in quibus illa commixta, et diluta sistit, et ita quasi pura, ideoque maxime actuosa obtinetur.

Gargarisma (1) liquor est, qui ore hauritur, et in posterius oris cavum defertur, ibique agitatur ad aegrotas partes abluendas, discutiendas, et abstergendas, nec non propriis gargarismatis virtutibus aliter medicandas.

Hydromel remedium ex aqua, et melle compositum; nomen constat ex ὕδωρ aqua, et μέλι mel.

Linctus, looch ab Arabibus, est medicamentum ex mucilaginibus, vel gummi, et syrupo utplurimum confectum, quod haustum ad leniendas fauces perutile evadit.

Linimentum dicitur medicinalis substantia tenacitatis mediae inter oleum, et axungiam, qua substantia partes illiniuntur.

Liquores varii distillatione parantur, uti aqua, olea volatilia essentialia, et liquores ardentes nunc alkoolizati dicti, sive alkooles, quae omnia in usum medicum etiam vocantur.

Malagma, vox derivata a graeco verbo μαλάντω

(1) Gargarisma a γαργαρίζω os aqua colluo: γαργαρεὼν enim significat gurgulionem.

mollio, est fomentum maxime ex floribus, eorumque etiam surculis factum, quod integrae cuti imponitur ad apostemata, aliosve tumores praeter naturam molliendos. Malagma igitur est cataplasmatis species.

Mixtura vero fit, quando plures medicamentorum species in liquiditatis statu commiscentur, sed non *chemice* dissolvuntur, adeo ut mixtura ante usum semper exagitari oporteat, ne commixta vasis fundum petant.

Opiata, seu opiatum, aut lata, aut stricta significatione sumitur. Opiata late sumpta significat etiam confectionem, aut electuarium extemporaneum; stricte autem nonnisi horum species, in quibus ingreditur opium, denotat.

Oxymel remedium ex acido, sed utplurimum aceto, et melle compositum: nomen constat ex ὀξὺς acidus, et μέλι mel.

Pastillus, graece trochiscus τροχίσκος, medicamentum est quoddam siccum, solidum, ex saccharo, et pulveribus variis confectum, cui diversa datur forma, ut ore commode contineri possit, ibique facile liquefiat.

Pilula, quoad nomen attinet, sat intelligitur; quoad medicamen ex multiplicibus, et variis substantiis conflari potest. Sed quomodocumque confectae pilulae vel pulvere non ingrato, vel argenteis foliis obvolvuntur, ne simul coalescant, et

quo facilius, commodiusque glutiantur, nec non ut ingratae earum qualitates gustui eludantur.

Sal corpus est in crystallos (1) redactum, et in aqua solubile, quod ex tribus naturae regnis haberi potest modo naturaliter, modo artificiose.

Succi etiam plerarumque stirpium occurrunt inter liquida medicamenta recensendi, qui succi expressione eliciuntur, adjecta interdum aqua, et calorici ope.

Suppositorium apud veteres significabat balanum, glandem ratione figurae, apud recentiores denotat medicamentum soliditate sat firmum, figura teres, quod in anum immittitur, ut vis expultrix, dum pigra est, incitetur, et hinc faecales materies ejiciantur. Suppositorium vel simplex est, uti ex plantarum caule, aut radice, aut ligno, uti ex lardo, cera, saccharo; vel compositum, uti ex melle, vel aliis excipientibus cum irritantibus quibuscumque substantiis remixtis, quibus simplicia suppositoria illiniuntur, ut horum efficacia adaugeatur.

Syrupus medicamen est ex decoctis, vel succis et saccaro, vel melle confectum, et eo spissitatis redactum, ut ejus gutta super marmoreo plano non defluat. *Julepus*, seu lambitivum dicitur me-

---

(1) Crystallus κρύσταλλος ex κρύος frigus, et στέλλω contraho. Quasi frigore contractus, nempe glaciatus.

dicamentum ex decocto, sive aqua stillatitia, et syrupo, aut saccharo paratum, quod minoris sit spissitudinis, quam syrupus.

Tabella non nisi plana, et rotunda figura differt a pastillo, iisdemque usibus assumitur.

Tincturae nomine intelligitur extractum liquidum coloratum, quod magnam extractae substantiae virtutem continet

Trochiscus (1), nunc temporis dicitur siccum medicamentum forma rotundum instar frumentosi grani, natura persaepe escharoticum. Hujusmodi trochiscis utimur ad strumosas glandulas consumendas, vel destruendas.

Unguentum est medicamentum externum pinguedinis, aut mellis instar consistens, et calore liquescens. Paratur ex oleo, axungia, cera, gummi, resina, plantarum succis, et variis aliis substantiis: proinde variae sunt unguentorum concelebratae virtutes, in quorum tamen usu minus confidit hodierna Chirurgia.

Mixtio corporum completam conjunctionem non supponit, hinc nata est distinctio inter *solutionem* quae ad mixtionem spectat, et *dissolutionem* quae ad *commixtionem* pertinet.

---

(1) Trochiscus τροχίσκος ex τρέχω curro, valet rotulam, seu orbiculum. Hinc dictum fuit medicamentum, quod in orbiculos fingitur.

Solutio, seu magis proprie *disgregatio* quando corpus liquido solutum proprias adhuc conservat proprietates, quia ejus principia, seu molleculae nonnisi disgregatae sunt.

Ad *Commixtionem* spectant seu ad perfectam corporum conjunctionem, eorumque principiorum immutationem:

Dissolutio quando solidum corpus liquido solutum, ejus principia constitutiva ita resolvuntur, ut conjungantur liquidi molleculis, et ambo corpora proprias amittant proprietates, novasque acquirant.

Fermentatio, quae est internus spontaneus motus in corporibus idoneis suscitatus, eorumdem immutans naturam; cujus tres sunt species: *alkoolica*, *acida*, et *putrida*.

Oxigenatio est oxigenii cum corpore conjunctio; quae modo *rapide*, modo *lente* operatur; prior cum evolutione calorici, altera absque, contingit; postrema, in metallis, *oxidatio* vocatur.

SECTIO SEXTA

De acceptiore praecipuarum chemicarum praeparationum nomenclatione.

Obscura, et absurda interdum vocabula, olim in usu erant ad chemica praeparata designanda;

hisce, altera successit clara et rationabilis nomenclatio, cujus ope, eo facilius praeparata innotescunt, quod a componentibus eadem derivetur.

Quamvis a nuperioribus quibusdam Chemicis in diem haec adhuc mutetur, nos tamen ut nimis faciles vitemus errores, acceptiorem nomenclationem, pro nostro instituto, eaque praeparata dumtaxat, quae in morbis chirurgicis curandis potissimum adhibentur, ordine alphabetico, trademus.

Acetatum ammoniacae — spiritus Mindereri ex acidici acetosi cum ammoniaca commixtione factum.

Acetatum mercurii — sal mercuriale acetosum, terra foliata mercurialis, sive sal mercuriale antivenereum Keiser.

Acetatum plumbi — sal saturni.

Acetatum potassae — terra foliata tartari.

Acidum aceticum concentratum — acetum radicale.

Acidum benzoicum sublimatum — flores benzoini.

Acidum boracicum — sal sedativum Hombergii.

Acidum hydrocyanicum — acidum prussicum.

Acidum lacticum — acidum seri lactis, quod, juxta Berzelium, aliis quoque humoribus animalibus inest.

Acidum malicum — acidum e pomis eductum.

Acidum muriaticum (hydrochloricum) — acidum marinum, spiritus salis marini.

Acidum nitricum — spiritus nitri, seu aqua fortis.

Acidum nitrosum — spiritus nitri fumans.

Acidum nitricum alkoole dilutum — spiritus nitri dulcis.

Acidum oxalicum — acidum acetosellae, acidum sacchari.

Acidum pyrolignosum — acidum quod educitur per distillationem ligni.

Acidum sebacicum — acidum pinguedinis, quod educitur per distillationem pinguedinis.

Acidum succinicum — sal volatile succini.

Acidum sulphuricum — acidum vitriolicum, oleum vitrioli.

Acidum sulphurosum — spiritus sulphuris.

Acidum tartaricum — acidum cremoris tartari.

Alkool — spiritus vini.

Alumina — argilla pura, terra aluminis.

Ammoniaca — alkali volatile, spiritus volatilis salis ammoniaci.

Aroma — spiritus rector, principium odorans plantarum.

Boratum sodae — borax mineralis.

Caloricum — principium ignis, fluidum igneum, causa caloris.

Calx — terra calcaris.

Carbonium — principium combustibile, quod invenitur in carbone.

Carbonatum ammoniacae — alkali volatile concretum.

Carbonatum calcis — lapis calcareus, marmor.

Carbonatum potassae — alkali vegetabile fixum.

Chlorum in aqua solutum — acidum muriaticum oxigenatum liquidum.

Gaz ammoniacale — gaz alkalinum, gaz alkali volatile.

Gaz acidum carbonicum — aër fixus, mephiticus, respirationi valde noxius.

Gaz acidum muriaticum oxigenatum — aër seu gaz quod ab acido marino evolutum, miasmata, et contagia aëris atmospherici destruit; respiratum, pulmones irritat.

Gaz azotum — gaz phlogisticum, respirabile, sed ad vitam alendam ineptum.

Gaz hydrogenium sulphuratum — gaz hepaticum, in aquis mineralibus hydrosulphureis abundans.

Gaz nitrosum — effluvium nitrosum a Smith commendatum contra miasmata, et contagia per aërem diffusa.

Gaz oxigenium — aër vitalis, solus respirationi aptus.

Muriatum ammoniacae — sal ammoniacum.

Muriatum supra oxigeniatum antimonii — butyrrum antimonii.

Muriatum barytae — sal marinum barytae.

Muriatum calcis — sal marinum calcare.

Muriatum ferri ammoniacale sublimatum — flores salis ammoniaci martiales.

Muriatum mercurii supra oxigenatum — sublimatum corrosivum.

Muriatum mercurii dulce — mercurius dulcis: aquilae albae, panaceae mercurialis, Calomelani Riverii

nomenclatione, promiscue designatur mercurius dulcis, quamvis, in hisce, reiteratae praescribantur sublimationes, per quas actuosior quidem evaderet praeparatio, ni per ablutionem adsuetam dissolverentur particulae muriati mercurii supra oxigenati per sublimationes emergentes.

Muriatum auri — nuper a D. Chrestien Monspelliensi in morbis syphiliticis commendatum.

Muriatum mercurii per praecipitationem — praecipitatum album.

Muriatum sodae — sal marinum.

Nitratum argenti fusum — lapis infernalis.

Nitratum mercurii — sal nitrosum mercuriale.

Nitratum potassae — sal nitrum.

Oxalatum acidulum potassae — sal acetosellae.

Oxidum album antimonii per nitratum potassac — calx alba antimonii per nitrum, antimonium diaphoreticum.

Oxidum antimonii sulphuratum vitrosum — vitrum antimonii.

Oxidum antimonii sulphuratum semivitreum — haepar antimonii.

Oxidum arsenici sulphuratum luteum — auripigmentum.

Oxidum ferri carbonatum — crocus martis aperitivus rore majali paratus.

Oxidum ferri nigrum — aethiops martialis.

Oxidum ferri rubrum acidi sulphurici ope — colchotar.

Oxidum flavum mercurii acidi sulphurici ope — turbith minerale, praecipitatum flavum.

Oxidum rubrum mercurii ope acidi nitrici — mercurius praecipitatus ruber.

Oxidum rubrum mercurii ope ignis — mercurius praecipitatus ruber per se.

Oxidum subnigrum mercurii — aethiops per se.

Oxidum album plumbi, acidi acetosi ope — cerusa.

Oxidum rubrum plumbi — calx rubra plumbi, minium.

Oxidum plumbi semi-vitrosum — lithargyrium.

Oxidum zinci impurum — tuthia.

Oxidum zinci sublimatum — flores zinci, (pompholix) valde commendati in morbis convulsivis.

Oxigenium — basis aëris vitalis; principium acidificans.

Phosphatum calcis — terra animalis, terra ossium.

Pomatum oxigenatum — ex spiritu nitri ℥ ij et adip. recent. suill. ℔ j leni calore: in morbis chronicis cutis.

Potassa fusa — lapis causticus, quo utuntur Chirurgi pro aperiendis quibusdam tumoribus, pro ulceribus artificialibus statuendis.

Prussiatum mercurii — idem; a cl. nostro Bonvicino usurpatum (vid. mercur.) in curanda syphilide.

Sapo ammoniacalis — sapo ex oleo olivarum una cum alkali volatili.

Sapo calcis — sapo ex oleo una cum calce.

Sapo potassae — sapo ex oleo una cum alkali vegetali fixo, acido carbonico orbato.

Sapo sodae — sapo ex oleo una cum alkali fixo marino.

Soda — alkali fixum marinum, alkali minerale.

Sulphur sublimatum — flores sulphuris.

Sulphatum aluminae — alumen.

Sulphatum cupri — vitriolum cupri, vitriolum cypri.

Sulphatum ferri — vitriolum viride, vitriolum martiale.

Sulphatum magnesiae — sal epsom, sal anglicum, catharticum.

Sulphatum potassae — tartarum vitriolatum, sal de duobus, sal polychrestum Glaseri, arcanum duplicatum.

Sulphatum sodae — sal Glauberi, vitriolum sodae.

Sulphatum zinci — vitriolum zinci, vitriolum album.

Sulphuretum nigrum mercurii — aethiops mineralis.

Sulphuretum rubrum mercurii — cinnabarum.

Sulphurum antimonii — antimonium crudum.

Tartratum acidulum potassae — cremor tartari.

Tartratum potassae — sal vegetale, tartarum solubile.

Tartratum potassae antimoniatum — tartarum emeticum, tartarum stibiatum.

Tartratum sodae et potassae — sal de Seignette.

SECTIO SEPTIMA

De medicamentorum dispositione in ordines ad usum praxeos.

De remediis emollientibus.

Emollientia remedia sunt quae duris ac rigidis fibris applicita, sive aliquid inter earum particulas interponant, sive aliud fortasse mutationis genus inferant, earumdem cohaesionem imminuunt; ex quo minor fibrarum attritus factus, laxiores et flexibiliores evadunt. Hinc irritatio, dolor, et spasmus imminuuntur ac removentur, maxime in partibus agenti remedio propioribus, unde exhalatio cutis revocatur, circuitus humorum naturali ordine restituitur, fitque saepe utilissima ab internis partibus ad externas, vel a superis ad inferiores avocatio.

Ex quo patet alios atque alios effectus edere emollientia, praeter vim emolliendi ac relaxandi, resolventes, temperantes, refrigerantes, sedantes.

Quamvis autem utilis sit emollientium usus in morbis internarum partium, maximeque intestinorum, renum et vesicae, longe tamen frequentior, utiliorque in bene multis morbis exterioribus existit, in quibus dolorem lenire, calorem minuere, siccas fibras humectare, rigidas mollire, et constrictas relaxare oportet.

Emollientia (*Tab. I.*).

Ab *indole* aquosa, vaporosa, pinguia, lactea, mucilaginosa, amylacea.

Ab *usu* relaxantia, demulcentia, resolventia, maturantia, pectoralia etc., sunt:

Fol. farfari: malvae: meliloti: mercurialis.

Flor. malvae: lil. alb.: violae.

Sem. cydonii: secalis: lini: hordei: psillii.

Rad. altheae: lil. alb. caeparum.

Fructus amygd. dulc.: cacao: caric. ping.: dactili: jujubae: oliv.: pom. dulcia.

Reliq. ex veget. gumm. arab.: olampi: tragacantha: lichen island.

Ex anim. lumbr. terrestr.: axungiae variae: cera: ictiocolla: mel: spermaceti: vitellus ovi: lac; etc.

Ex hisce praeter ea, quae in usum interiorem veniunt praeparata tum officinalia, tum magistralia externa remedia parantur ad: ex:

Cataplasmata ex farin. sem. lin. secal. in decoct. fol. plant., vel *epithemata*, *malagmata*.

Cerata, *emplastra* ex mucilag. pulv., cera, adipe etc.

Cereoli ex emplastris meliloti, spermaceti etc.

Clysteres: *collyria*: *gargarismi*: *injectiones*: *fotus* — ex ipsis decoct. aut still. plant.

Balnea aquea: vaporosa: *olea* per expressionem, et per infusionem: *suppositoria*: *unguenta* — ex cer.: alth. adipe: melle etc.

De adstringentibus.

Sunt ejusmodi, quae corpori admota, particulas e quibus conflantur densando et contrahendo solidarum partium cohaesionem majorem efficiunt. Quamvis penitus haud innotescat ratio, qua adstringentia humano corpori cohaesionem restituunt vel augent, verisimile tamen videtur quamdam adesse affinitatem inter principia solidas partes constituentia et medicamentorum particulas; istae enim sunt quae sensum adstrictionis in lingua, in ore et faucibus suscitant, easdem evidenter constringendo; etiamsi occurrant, quae hisce viribus destituta, optima tamen adstringentia sint. Opinio magis viget adstringentia potiorem vim in parte exerere, cui proxime applicantur, dum ipsis vetitum esse creditur iter ad sanguinem, vel saltem adeo exigua copia affundi, ut salutaribus edendis effectibus imparia evadant; qui idcirco effectus a legibus consensus explicantur.

Quot et quantis morbis internis adstringentia prosint, ab atonia et laxitate solidorum productis, per se patet; dum eorum quoque prudenti administratione, non paucis salutem Chirurgia promittit; ea vero si efficacius agant, ut in profluviis sanguinis sistendis, *styptica* dicuntur.

At monuisse praestat generatim non prodesse, dum adhuc viget inflammatio, et potissimum in systemate glanduloso.

Ab *indole* austera, subacida, amara, subacria, resinosa, styptica, vulneraria, resolventia, repellentia, discutientia, sunt:

Fol. agrimoniae: betonicae: hederae terrestris: millefolii: plantaginis: saponariae: scabiosae: urticae: taraxaci: vincae pervincae.

Flor. balaustiorum: hyperici: rosar. rubr.: sumach.

Semin. fenugraec.: fabar: lupin.: orizae.

Radic. bistortae: brioniae: rapae: rathaniae: consolid. maj.: columb.: tormentillae.

Fruct. mespili: granata pom.

Cortex granatae: quercus.

Reliq. ex veget. bovista: charta dentibus confecta: fungus igniar.: galla: gossypium: cerasor. gummi: bdellium: opoponax: cathechu: fucus vesiculos: spongia mar.

Ex animalibus hirundo: lana succida: tauri fel.

Ex mineral. alumen: argilla: bolus: zincum.

Ex hisce praeter quae in usum internum veniunt, parantur *cataplasmata*: ex farina hord. in oxicr. aut decoct. plant. adstring.

Emplastra ut *de pelle ariet.* vel *ad hernias.*

Collyria: *fotus*: *gargarismi*: *injectiones* — ex iisdem plantis decoctis in aq. vel vin. rubro.

Olea ut rosaceum: hypericonis etc.

Unguentum ut de *bolo*, de *lapide calaminari.*

Vinum ex infusione plantar. adstring. etc.

Ea remedia quibus robur restituitur fibris et partibus, ab imminutis fractisque viribus cerebri, nervorum et musculorum, et a motibus harum partium segnescentibus, adorta debilitas, et morbi avertuntur, vel jam evoluti curantur, *roborantia* dicuntur. Haec sunt, quae minus appositae a nuperioribus *tonica* dicta fuere.

Amara et adstringentia accomodata prae caeteris sunt; quamvis vero adstringentia generatim roborantia evadant, non omnia tamen roborantia vim adstringentem habent. Ex multiplici remediorum roborantium genere, alia sunt quae prae aliis singulares, et quasi proprios exerunt effectus, et ad multiplices debilitatis causas removendas valent, ac multa emendant corporis vitia, et specialibus in casibus conveniunt, prout nempe sunt adstringentia, amara, aromatica, stimulantia, aut alterius generis medicamenta. Hinc non eadem sunt ex roborantibus, quae ciborum desiderium excitent, quae digestionem adjuvent, expediant, quae acoris in stomacho evolutionem impediant, evoluto, excretioni faveant. Roborantia externe adhibentur in singularis partis debilitate, si tensionem, ac vigorem ei conciliare expediat, si haerentes humores in motum sint adigendi, si sordida et putrida ulcera sint abstergenda, ipsorumque cicatrix adjuvanda.

Roborantia (*Tab. III.*).

Ab *indole* adstringentia, amara, balsamica, aromatica.

A *vi* stomachica, antiseptica, antiscorbutica, antifebrilia, anthelmintica.

Fol. absinthii : beccabungae : cardui bened.: centaur. min. : chamaedris : chamepitis : cochleariae : licopi europ. : nasturtii aq. : ruthae : scordii : trifol. fibr. : tanaceti.

Radic. gentianae : serpent. virg.

Ligna visci querc. : quassiae amarae.

Cortic. cascarillae : chinae chinae : citri : nucis jugland : simarub : winteranus :

Resinae abietis : anime : pini : benzoe : camphora : elemi : mastix : sandaraca : sanguis dracon. : olibanum : stirax.

Ex animal. kermes : scorpio.

Ex miner. ferrum : aquae miner. ferrug.

Ex hisce praeter quae in usum veniunt internum, parantur *cataplasmata* ex far. resolv.

Epithemata malagmata in decoct. plant. robor.

Balnea : *fotus* ex decoctis aut infus. plantis.

Unguenta ut elemi, basilic.

Linimenta camphorata, ammoniacalia.

Lotiones : *frictiones* alkoolicae ut aq. benedict. serpilli ; vulnerar. etc.

Suffitus roborantes : ex mastice, benzoe, sandaraca etc.

De stimulantibus.

Ea dicuntur medicamenta, quae ad sensum, vel motum, vel utrumque in humani corporis partibus excitandum, accomodata censentur, sive primitus agant in nervos, sive propius in musculares fibras operentur, sive alterutra ratione, stimulantem virtutem exerant.

Quae in nervos olfactorios agunt, illico eorumdem actionem ad commune sensorium transferunt; quae ventriculum afficiunt, propere ad cerebrum, a quo per nervos ad totum corpus traducitur actio. Dum alia corporis partem tantum exstimulant, nonnisi lente virtutem suam ad omne nervorum genus, atque ad universum corpus deducunt.

Ex stimulantibus alia sunt magis *diffusibilia*, cujus effectus prompti atque fugaces; alia minus, quorum effectus magis sunt durabiles; prioribus vero vitium inest, quod effectus eorum excitans, plerumque nimis fugax sit, et quod pejus est, in contrarium effectum desinat.

Generatim eo vividior et promptior stimulantium effectus, quo pars ab iisdem perculsa, majori sensibilitate praestat, ac potiorem, arctioremque habet cum reliquis partibus consensum. Sic pronum est intelligere, cur conveniant stimulantia atque prosint in omnibus morbis, in quibus sensus languet, irritabilitas torpet, atque utriusque facultatis vires et motus segnescunt vel deficiunt, vel abnormes fiunt; variis nominibus designata, antispasmodica etiam dicta sunt.

Ab *indole* diffusibilia, permanentia, amara, aromatica, alcoolica, alcalina etc.

A *vi* analeptica, cardiaca, stomachica, nervina, antiparalytica, carminativa, sunt:

Fol. calaminthae: hyssopi: majoranae: marrubii: melissae: menthae: origani: pulegii: rosmarini: salviae: serpilli: thimi.

Flor. arnicae: chamomeli: croci stygmata: lavandae: tunicae.

Semina anethi: cannabis: carvi: coriandri: cumini: faeniculi: phellandrii.

Radices arnicae: artemisiae: valerian. sylv.: zedoariae.

Fruct. caryophilli: cardamomi: ceres. nigrar.: coffeae nuclei: nux mosc.: pip. alb.: nigr. long.

Cortex aurant.: cinnamomi.

Ex veget. styrax liquida: pini resina: saccharum.

Ex anim. castoreum: cornu cervi: moschus: sal ammoniac.: vipera.

Ex hisce parantur, praeter quae in usum veniunt internum, balnea aromatica: vaporoso-aromatica ex plantis iisdem aromaticis infns.

Fotus: *cataplasmata*: — *frictiones* ex aq. vulneraria, serpilli etc. — *olea* essentialia per distillationem.

Linimentum ex oleo et spir. sal. ammon. — *emplastra* picea etc. — *unguenta* stimulantia ut styracis — *suffitus* ex iisdem plantis aut substantiis ex hoc genere depromptis.

Remedia quae ita validum exerunt stimulum, gravemque suscitant irritationem, ut rubefaciant, dein rodant, exaedant, destruant, atque absumant partes quas attingunt, *exaedentia* jure vocantur.

Duplicis generis sunt; vel in vivas tantum partes actionem suam exerunt; vel in vivo corpore vim habent, et in eodem mortuo etiam ostendunt: illa texturam partium solidarum non immutant; haec vero ita laedunt ac destruunt, ut eorum vi, cutis particula quam attingunt, in escharam, novam penitus naturam exhibentem, convertant, quorum actio chemice explicandam esse contendunt, ab eo quod particulae medicaminum nituntur tanta vi, et propria affinitate in eas, quae fluidae et solidae cutim ccmponunt, donec pristinis cohaesionis vinculis solutis, intima particularum commixtio fiat, novumque corpus exurgat neutrae indolis. Hinc patet discrimen inter prima et secunda: prima a stimuli intensitate; altera propria potissimum affinitate operantur.

Quae cuti applicita eam inflammant, *rubefacientia*, *inflammantia*, *vesicatoria*, *rodentia*; quae escharam relinquunt, *caustica*, *cathaeretica*, *escharotica*; quae iterum in *actualia* et *potentialia* dividuntur, ut in Chirurgiae *auxiliariae* capite dictum fuit.

Ab *indole* acria, ignea.

A *vi* rubefacientia, vesicantia, escharotica, potentialia, actualia.

Fol. anemone: chelidonii maj.

Semina sabadilli: sinapis.

Radic. allii: armoraciae: ireos florent.: piretri: peucedani: raphani.

Alkal. potassa caustica.

Cortex mezerei.

Ex animal. cantharis.

Ex miner. nitras argenti: oxidum arsenici: magnes arsenicalis: oxidum cupri.

Caustica actualia moxa ex gossipio: cannabe: fungo igniario: e radiis solis apta lente concentratis: ferrum candens, vel objectivum, vel transcurrens, vel inhaerens.

Ex hisce praeter interna remedia, quae numero pauca sunt, parantur *cerat. epispasticum* ex cera, coloph. therebint. et cantharidibus: *pasta fortis vesicatoria* ex fermento panis, sinapi, et cantharidibus.

Globuli ex ireos radice pro cauteriis.

Sinapismata ex fermento panis, sinapi, una cum aceto forti, ad instar cataplasmatis: *pediluvia* synapisata: *injectiones*: — *linamenta cathaeretica*: lintea nempe usu detrita in solut. merc. subl. corros. et amyl. immersa.

Sunt quae sensilitatem nervorum, et irritabilitatem musculorum minuendo, cerebrum et nervos ita afficiunt, ut dolores consopiant, quietem adducant, somnum accersant, secretiones cohibeant, et excepta transpiratione, excretiones imminuant, aut supprimant. Neque intra hosce limites continetur sedantium et consopientium virtus, largiori manu exhibita, fatuitatem, languorem, soporem, lethargum, paralysim, apoplexiam, viriumque omnimodam exsolutionem, ipsamque mortem inferunt, et tunc *narcotica* dicuntur.

Principia et modos quibus ista pharmaca agunt nondum sumus assecuti, nec rationem reddere possumus ob quam motrices vires reliquas imminuunt, et cordis actionem nonnisi secundarie laedunt, imo etiam interdum incitent. Hinc summum Clinicis afferunt praesidium in doloribus, vigiliis, convulsionibus, spasmis, aliisve nervorum affectibus, immodicisque alvi fluxibus, sive mali causam tollant, sive effectus tantum mitigent, quoties nervorum et musculorum potentiam oporteat imminuere. Secus, si plethora, si insigne humorum vitium, inflammatio, aut valida febris, nimius humorum impetus, aut congestio adsit, sine emolumento, imo gravi damno, atque interdum aegri pernicie, propinantur, quemadmodum etiam nocent in imminentibus excretionibus criticis, in emaciatis, debilibus, in singulari hominum idiosyncrasia.

Ab *indole* virosa acria.

A *vi* sedantia, anodina, paregorica, narotica, controstimulantia etc., sunt:

Fol. cicutae: digitalis: belladonnae: lauri cerasi: hyosciami nigri: persici: lactuae virosae: nicotianae: solani nigri.

Flor. chamomillae: lilior. alborum.: papav. erratici.

Semin. lini: papaveris: faenugraeci: hyosciami.

Fruct. amygdalae amarae: capita papaveris: nux vomica.

Succ. opium: — ejus praeparata.

Ex anim. bubo rana?

Ex miner. plumbum — ejus praepar.: cerussa: minium: lithargirium: lapis calaminaris: acidum prussicum

Ex hisce parantur praeter quae in usum internum veniunt:

Cataplasmata anodina ex farin. sem. lin. in decoct. fol. hyosciam. vel solan. nigr.

Collyria: injectiones: fotus: clysteres — ex decoctione capitum papaveris, fol. solan. nigri etc.

Olea anodina ut bufonum, chamomeli, amygdal. amar. etc.

Unguenta ejusdem naturae ut litharg. populeon etc.

Linimentum ex oleo amygd. amar. camphora et opio.

Sic nominantur ea remedia, quae generatim calorem imminuunt, motus cordis arteriarumque moderantur, humorum aestum cohibent, sitim sedant, atque a nimio calore ortas irritationes removent et quietem adducunt.

Nondum consentiunt Medici circa modum quo refrigerantia proprios edant effectus; nec mirum, nondum enim penitus innotescunt caussae quae humanum calorem progignunt. Multa quidem in refrigerantibus occurrunt discrimina quoad eorum originem, indolem, et agendi rationem; dum enim quaedam, frigoris instar, eorum vires explicant, aut in stomacho, aut in aliis partibus, atque ad universum corpus deducuntur effectus, alia sunt quae in renibus, aut in vesica, in cute, aut alibi effectus produnt. Item dum nonnulla in solidas partes agere videntur, alia vel physica, vel potius chemica quadam vi non satis evoluta, mutationem humoribus inducunt.

Hinc in morbis inflammatoriis, praesertim si aëris temperies, cibus et potus, corporis quies, animique motus recte dirigantur, in morbis acutis cutaneis, in haemorragiis, in membranarum mucosarum phlogosi, in phlegmone, erysipelate, aliisque phlogisticis externis morbis, maximum afferunt auxilium refrigerantia.

Ab *indole* subacida, aquosa, frigorifera.

A *vi* humectantia, attenuantia, antiphlogistica, aperientia etc.

Fol. acetosellae : acetosae : fumariae : lactucae sativae.

Radix graminis : liquiritiae : cichorei.

Semin. avenae : melonis : citrulli : cucurbitae : endiviae : hordei.

Fructus aurant. : berberis : ceresorum rubr. : citriae mal. : fragae : limonia : mor. nigr. : passulae uvae : pomor. acid. : ribii.

Ex anim. rana : mel : serum lactis : spermaceti.

Ex miner. aq. miner. acid. : aq. veget. miner. : acidum nitricum : sulphuricum : nitratum potassae : sulphas magnesiae : tartratum acid. potassae.

Balnea : *embrocationes* ex aqua dulci : subfrigida : frigida : gelida : nive : glacie.

Ex hisce parantur praeter ea quae intus propinantur :

Cataplasmata ex medulla panis in aq. veget. min.

Collyria ex aq. stillat. spermat. ceti : ran.

Ceratum seu ung. : refrigerans Galeni, spermaceti, rosatum etc.

Collutoria : *gargarismi* : *fotus* : *clysteres* — ex substantiis subacidis : ex aq. veget. minerali : ex oxycrate : ex aq. frigid. etc.

Evacuantia, praeter quae ab auxiliaria Chirurgia desumta memoravimus, sunt quae intus sumpta vel salivam, vel sputum, vel vomitum, vel alvum movent. In morbis chirurgicis, adnotante cl. Bell, ob topicas laesiones, et ob decubitum, non raro supervacua materie onustus evadit aeger, ac pene oppressum languet corpus, in pejus ruit topicus morbus, nec refici queit, nisi demta materie morbosa; hinc per se jam patet quanti momenti sint evacuantia remedia, quae vomitum potissimum movent. Caeterum non tantum superfluos alienosque humores evacuant, sed primitus solida percellunt, et dum insignem humorum derivationem ab una ad alteram corporis sedem perficiunt, et secretiones, sublatis impedimentis promovent, naturae vires interdum levant, absorbentium vasorum actionem incitant, motusque adjuvant, circuitum sanguinis ad naturalem ordinem saepe revocant, transpirationem cutis restituunt, aliaque plura aegris commoda afferunt. Purgantia vero prout lenia, cathartica, aut drastica, varios producunt effectus.

Hinc varias ac plures mutationes afferunt. Ex hisce sunt, quae vermes in intestinis nidulantes enecant, vel ejiciunt, vel utrumque praestant, et *anthelminiica* dicuntur; quorum quamvis sint quae specifica ratione agant, generatim tamen, evacuantium more, pleraque suam exerunt actionem.

Ab humorum egestione *sialagoga*, *expectorantia*, *emetica*, *purgantia*.

Expectorantia ab emollientibus, et ab iis, quae nauseam inducere valent desumuntur.

Emetica sunt: radix ipecucuanhae: brioniae: scillae: hellebori: tartarum emeticum: vinum emeticum etc.

Purgantia a vi *lenia*, *cathartica*, et *drastica* sunt:

Fol. sennae: gratiolae.

Flor. persici.

Sem. santonic.

Radic. filicis: polypod.: rhabarb.

Fruct. cassiae: colocynth.: cucumis asin.: prun. variae spec.: tamarindi.

Olea amygdal. dulc.: croton tiglii: lini: oliv.: ricini.

Cortex sambuc. medius: radicis granat.

Ex veget. agaricus: gummi gutta: scammoneum: aloe soccotr.: manna: corallina: helminthocorton.

Ex miner. antimonium: ejusque praep.: oxid. stamni: sulphatum magnesiae: turbith miner.

Ex hisce parantur praeter ea quae in usum internum veniunt, *suppositoria*: *clysteres* plus minus purgantes, anthelmintici etc.

Ung. purgantia extus illinita abdomini ut ung. arth.

Linimentum purgans ex dicto ung., oleo ricini, crot. tiglii etc.

Linim. purg. et *anthelmint.*, addito oleo petroleo.

Pomatum emeticum ex adipe, et tart. emetico.

Medicamenta quae peculiarem exerunt in renes actionem, et copiosiorem, aut alienis onustam particulis urinam movent, ex quo levetur aut solvatur morbus, *diuretica* vocantur. Horum alia *vera* seu *propria* sunt, alia *spuria* seu *relativa.* Priora sunt quae renum actionem, ex qua copiosior separatur urina, incitant, ac proprio quodam aut generali stimulo augent. Altera vero sunt quae humorum massam augent, ac praesertim seri rationem ad reliquas sanguinis partes majorem efficiunt, et impedimentis sublatis, urinae secretionem, et ejusdem affluxum promovent; ex qua minores evadunt caeterae secretiones, atque excretiones; vasorum absorbentium actio adaugetur sive sublatis impedimentis, sive novis additis viribus, sive utroque modo, lymphaticum sistema afficiant.

Quam ob rem late patet diureticorum usus in morbis curandis chirurgicis, qui in pituitosis, scorbuticis, scrophulosis, obaesis, obstructis, cachecticis, cutis vitiis, atque inveteratis malis obnoxiis, occurrunt, dummodo renum, uretherum, et vesicae inflammatione, aliave labe non laborent aegri, quo in casu, nonnisi ex emollientium et laxantium genere et prudenter et caute deligi et usurpari debent. *Litontryptica* vero ita innexa sunt diureticis, ut ab iis separari non possint; eaque dicuntur, si quae sunt, quae calculis renum aut vesicae dissolvendis, conterendis, expellendis, idonea credita sunt.

Ab *indole* aquosa, stimulantia, balsamica.

A *vi* resolventia, depurantia, lithontryptica, sunt:

Fol. abietis: borraginis: cherefolii: equiseti: erysmi: genistae tinct.: digitalis purp.: parietariae: — senecii: uvae ursi: pini strobuli: populi gemmae.

Sem. erucae: millii: urticae.

Radic. apii: arundinis: asparagi: colchichi: faeniculi: fragrariae: ononidis: spin.: petroselini: scillae.

Fruct. alkekengi: juniperi (bacc.): pini (nucl.)

Balsam. balsam. copaiv.: peruvian.: tolutan.: therebintina.

Ex animal. cantharis: formica: millepedes: scorp.

Ex mineral. acid. nitric.: sulphuricum: aq. minerales: acidulae: sulphureae: spirit. mindereri etc.

Ex hisce prceter ea, quae in usum internum adhibentur, parantur *pomata*: ex digitali purpurea: ex scilla: — linimenta ex oleo scorpionum: ex tinct. cantharidum etc.

Cataplasmata, vel *fotus* emollientes, anodini, regione hypogastricae et perineo admovend.

Semicupia ejusdem naturae vel etiam *balnea subcalida* universalia aquosa, vaporosa.

Clysteres ex decoctis plantarum, seminum, radicum.

Diaphoretica.

Auxilia quae cutis expirationem augent, sive interius, sive exterius corpori admota, *diaphoretica* dicta sunt; quae quum magis copiosam sensibusque manifestam efficiant, ut in guttas colligatur et fluat e corpore aqueus humor, materiei animali admixtus, *sudorifera* vocantur; hinc nullum inter ea discrimen. Singula enim, quoad eorum agendi rationem, potioresque effectus, necessario cordis vim, arteriarum, proindeque circumeuntis sanguinis in corporis peripheria motum debent ita augere, ut sanguinis serosa portio, quae secus ad renes fuisset delata, sive actione cutaneorum exhalantium directe adaucta, sive per consensus legem indirecte sollicitata, sive utraque res sit, analogi semper sequuntur effectus; humorum quantitas, ac praesertim tenuiorum imminuitur, et cum humoribus egestis superfluae, corruptae, ac nocuae quaecumque particulae foras erumpunt; cutis spasmus solvitur; sanguinis circuitus atque impetus in caeteris partibus ita moderatur, ut quaelibet alia secretio, ac praesertim urinae copia deficiat, aut cohibeatur; vis absorbentium vasorum excutitur, atque partium immutatur conditio, cum quibus cutis magis consentit.

Diaphoretica desiderantur in iis omnibus affectubus, qui a retenta expiratione, vel a salutari temere cohibito sudore, originem ducunt.

Ab *indole* aquosa, stimulantia, relaxantia, at tenuantia.

A *vi* diaphoretica, sudorifera, sunt:

Fol. alni: sambuci.

Flor. sambuci: theæ: tiliae: verbasci: violae odoratae, tricoloris.

Radic. bardanae: enulae.

Baccae sambuci.

Ligna, stipites: chinae radix: dulcamarae: guajacum: sassafras: salsaparilla.

Ex animal. vipera: lacertus viridis: spir. vol. sal. amm.

Ex miner. sulphur, ejusque praep.: aquae sulph. therm.: antimonium, ejusque praep.

Ex hygein. frictiones: later calidus: dolium aq. calid. plen.: puls calida: balneum subcalid., vaporis: exercitium corporis.

Praeter ea, quae intus propinantur, ex hisce parantur balnea subcalida, fumigationes sulphurosae:

Cataplasmata ex farinis emollientibus, vel *puls* ex milio indico partibus dolentibus admovenda.

Foliis alni aut sambuci sole aut igne flaccidis partes aedematosae obteguntur ut aquam sudoris ad instar eliciant.

Telae ceratae quibus plantae pedum, aut caput, aut aliae partes corporis obteguntur ad sudorem revocandum.

Quaecumque remedia sanguinem, vel foetum, vel lochia ex utero promovere credita sunt *emmenagoga*, *ecbolica*, vel *aristolochica* dicta fuere, quamvis singula ab eo tantum genere ducantur, quod *emmenagoga* complectitur. Immo nullum hactenus inventum remedium, quod uteri vasa et proxime, et speciatim afficiat; et ea quae vasorum actionem in universum augent et stimulant non semper valeant ad menstrua sive retenta, sive cohibita evocanda, quum ejusmodi retentio aut suppressio, modo sit alicujus aegritudinis causa, modo sit effectus. Quaedam sejunguntur a reliquis evacuantibus remedia, quae crebrius veluti *emmenagoga* usurpantur, quaeque caeteris magis idonea sunt, sive ab indole stimulus uterum petat, vasaque uteri sanguinea validius concitet, sive musculares et nerveas ejus fibras percellat, atque humores uterum aut aegre, aut non debita copia subeuntes, idoneo impetu, et apta quantitate ad eum promoveant, vel impedimenta auferant, quae liberae et facili ex uteri vasculis sanguinis eruptioni se opponunt; hinc multiplex emmenagogorum genus. Quae ex purgantibus, potissimam in rectum intestinum actionem exerunt, et multimode proximum uterum afficiunt.

Ab *indole* et *vi* stimulantia, roborantia, purgantia, diuretica, emollientia, antiphlogistica, sedantia, sunt:

Fol. artemisiae: capilli veneris: matricariae: ruthae: sabinae:

Flor. calendulae: croci stygm.

Radix aristolochiae.

Semin. apii: cannabis: secalis cornuti.

Baccae lauri.

Cortex cinnamomi.

Ex vegetab. gumm. ammoniac.: assa foetida: galbanum: mirrha: sagapenum: olibanum: aloes: balsama varia.

Ex miner. ferrum, ejusque praepar.

Ex hygeine magni sunt momenti *circumfusa*: *ingesta*: *gesta*: et *percepta*.

Praeter ea omnia, quae in usum internum veniunt praeparata magistralia, et officinalia, ad eumdem scopum extus adhibentur:

Fotus: *clysteres* ex decoctione plantarum emmenag.

Semicupia ex aqua pura, vel ex decoctis plantis emmenagogis parata.

Balnea universalia: *pediluvia* subcalida.

Venae sectio ex pedibus.

Emplastra regioni lumbari, vel hypogastricae admota ex olibano, vel galbano etc:

Linimenta ex tincturis mirrhae, aloe etc.

Remedia quae futuram praecavere valent putredinem, aut evolutam corrigere, *antiseptica* dicuntur. Multae sunt caussae quae naturalem ad putrescendum proclivitatem augent in humano corpore, sive intus, sive extus agant; ita non unum occurrit antisepticorum genus. Usque adhuc non innotescit ratio ob quam putredo, vita praesente, evolvi incipiat; verissimum tamen est evolventis, aut evolutae haberi indicia ab oris halitu faetenti, ab eo quod faetet sudor, faetent praetermodum ulcera, et quidquid ab iis manat. Quum valdopere inter se discrepent causae putredinem inducentes, hinc patet aperte variis causis aptari debere remedia antiseptica. Neque eorumdem virtus ab eorum effectibus super humores, vel carnes putrescentes demortuas omnimodo dimetienda.

Quod ad Chirurgiam spectat, monemus curationem ulcerum putridam indolem habentium, gangraenae, ac similium malorum, vel aegre contingere, vel perperam suscipi antisepticis impositis, nisi medicamenta praedita eadem facultate, eodem tempore intus, diu ac largiter propinentur.

Antiseptica (*Tab. XII.*)

Antisepticorum numero recenseri debent stimulantia, aromatica, resinosa, balsamica et volatilia medicamenta, inter quae antecellit camphora, sive quando vasorum deficiens actio sit incitanda, sive inflammatio sit suscitanda, a qua suppuratoria fit linea, quae partes jam putridas, atque corruptas a sanis separet, morbumque ulterius progredi impediat. Alias vero, acida et potissimum mineralia supremam edunt efficaciam quando nempe partium putredo chemica actione est sistenda.

Nec est cur moneamus *adstringentia* et *roborantia* quippe quae laxitati medentur, et solidorum cohaesionem restituunt, inter antiseptica esse adscribenda; imo ipsa *sedantia* et *refrigerantia* irritationem et dolorem mitigando, aut auferendo, ut ex Pott observatione de opio habemus, quod unicum praebere auxilium in gangraena senili Clinici norunt. Consulantur tabulae praesertim *roborantium*, *stimulantium*, *refrigerantium* etc.

Ex roborantibus variae chinae species: et rubra praesertim, cascarilla: simaruba: cort. wint.

Ex stimulantibus amaris ut fol. scordii: card. bened.: tanaceti: *rad.* serp. virg.: gentianae: plant. aromat.: ut melissa: mentha: origanum: pulegium.

Ex refrigerantibus, *fructus* subacidi: acida vegetalia: mineralia etc.: inter quae acidum muriaticum, cui miasmata putredinosa in ipsa atmosphera destruendi virtus inest.

De remediis ad cachexias.

Ea artis praesidia, quae peculiaribus humorum et solidorum vitiis ab acri quolibet principio, seu contagio illatis, vel a quacumque labe acrimoniae nomine profectis, obsistunt, medentur, generico nomine *anticachectica*, seu *depurantia* vocantur. Quum autem acria, aliena, et nocua principia humores, et solida labefactent, quin cognita sit nocentis principii natura, hinc cachexias a peculiari modo, quo hoc vel illud afficitur systema, vel a specifica causa, a qua eaedem promanant, discriminamur, in vitium, seu cachexiam, *herpeticam* : *rachiticam* : *scorbuticam* : *scrophulosam* : *syphiliticam*, prout dermoideum, osseum, vasculo-musculare, glandulosum, aut indiscriminatim cuncta systemata afficiuntur, ex quibus etiam remedia nominamus, prout in variis hisce humorum vitiis magis proficua demonstravit experientia.

Praeter enumeratas cachexias, aliae adhuc, latiori sensu, recenseri possent, ut *rheumatica*, *arthritica*, *podagrica*, *cancerosa*; quae tamen, sive quod peculiares diatheses sint potiusquam humorales cachexiae, sive quod a communibus remediis mitigari aut sanari queant; sive quod nullo remedio, ut postrema, profligari sinat, et nonnisi *sedantibus* et *sopientibus* doloris comitantis acerbitas blandiri queat, hinc, de illis tantum, utpote quae saepe saepius morbos chirurgicos faciunt, aut stipant, nonnulla summatim perstringimus.

Antiherpetica remedia, varia sunt pro varia causa: herpetes enim a qualicumque humorum labe causantur, aut complicantur. Diaphoretica, balnea sulphurea, mineralia praesertim, sulphur ejusque praeparata intus et extus, antimonium ejusque praeparata, aethiops mineralis, dieta lactea, vegetalis etc.

Antirachitica quae desumuntur ab *adstringentibus* et *roborantibus*, ab iis praesertim, quae ventriculi vires instaurare valent. Hoc pacto agere os mundae reg. extractum opinio est. Rubia tinctoria, stragula ex arom. plantis laudantur. Hygeinica auxilia prae aliis prosunt.

Antiscorbutica quae ab *adstringentibus*, *stimulantibus*, et *roborantibus* desumuntur, remedia sunt quae amaro, subacido, acri, oleoso, volatili penetranti principio scatent, ut raphanus, cochlearia, beccabunga, nasturtium, china china, acida tum vegetabilia, tum mineralia et potissimum hygeinica praesidia ex *circumfusis* et *ingestis* deprompta.

Antiscrophulosa quae in recto usu rerum ad hygeinem spectantium consistunt, et nonnisi supparia sunt quaedam potentiora medicamenta solventia ex *adstringentibus*, *stimulantibus*, *purgantibus*, et *diaphoreticis* desumta, ut sunt cicuta, guajacum, digitalis, sapones, calx, muria-

tum barytae, calcis, mercurii, jodium ejusque varia praeparata etc., prout systema glandulosum exterius, vel profundiora viscera, glandulasve vitium afficit.

Haud raro occurrit etiam tam prava corporis constitutio in qua, specialis cachexiae quamvis non adsint indicia, singularum est tamen veluti particeps, quarum elementa in se habet occulta. Haec nonnisi ex optimo rerum hygeinicarum usu, aetatibusque succedentibus est melior speranda, quae tam prava constitutio, cachexia *anomala* aut *larvata* vocari potest.

De remediis antisyphiliticis speciatim, ad usum Clinices morborum syphiliticorum.

Antisyphilitica a regno minerali et vegetabili desumenda, ut mercurius, ejusque varia praeparata tam externa, quam interna, muriatum auri, et ligna, sic dicta sudorifera, recensuimus, tum quum de regno vegetabili et minerali; de iis tamen quae frequentius occurrunt, nunc aliqua speciatim in medium afferemus in tyronum gratiam qui nostram morborum syphiliticorum Clinicem sequuntur.

Operae pretium ducimus aliquas praemittere animadversiones, quoad varias affectionum species modo venereas non syphiliticas; modo nec venereas nec syphiliticas; modo mercuriales, quae vel complicant, vel simulant syphilidem. Et quidem diutina experientia mihi penitus compertum est, morborum species in valetudinario clinico (Bogetto) occurrentes; ita et in aliis ad hunc morbum dicatis Nosocomiis, aeque ac in privata clinice, ad sequentes praesertim posse referri.

1.° *Morbi venerii primarii non syphilitici* jam a Celso recordati, qui sunt ulcera excoriationes pustulae indolem syphiliticam non referentes, ita et blenorrhagia aeque ac multae ipsius sequelae, quae sive in urethra, sive in vesica, sive in remotioribus partibus subsequuntur, quae quamvis

interdum syphilidem simulant, omnino tamen diversam habent originem et indolem, quibus nunquam profuisse mercurium jam sat, superque experimenta testarunt.

2.° *Lues syphilitica imaginaria*, quae in hominibus hypochondriacis praesertim occurrit, quorum imaginatio valdopere excussa a syphilidis conceptae timore, nullum unquam par morbo remedium existimant, quo in casu, remedia ad eorum infirmitates opportuna requiruntur, et licet interdum uti pia fraude ad plenam aegri persuasionem, ipsamque hydrargirosim simulatam instituere si ratiocinatione, opportunisque praesidiis eorumdem animis rectam inducere morbi ideam, datum non foret.

3.° *Morbi venerii primarii syphilitici* qui eorumdem initio ea indigent curatione, quae valeat praepedire contagii ad universum systema transmissionem, quique sunt pustulae, ulcera, raghades, bubones. Longe differt ista curatio ab ea, quae syphilidem secundariam debellare debet; etenim sufficit exigua hydrargirii dosis sive intus, sive extus adhibita, dummodo levem hydrargiricam irritationem in fibram excitet, ob quam ineptam evadere fibram ad syphiliticum persentiendum contagium creditur.

4.° *Morbi locales primarii syphilitici qui diu perdurant*, puta a 30 vel 40 diebus, quo in casu, difficile esset dijudicare utrum adhuc locales tan-

tummodo sint, vel jam contagium transmiserint et lateat; tunc levis hydrargirica irritatio, de qua §. antecedenti, impar esset fortasse, et nimia esset completa hydrargirosis; inter utramque prudentis esset curationem sistere.

5.° *Syphilis secundaria, confirmata, sive constitutionalis absque alia cachexia*, quae juxta cel. Astruc, nonnisi a duobus univocis signis argui potest; a morbis nempe praecessis primariis syphiliticis, et a symptomatibus indubiae indolis syphiliticae, completa hydrargirosi curanda.

6.° *Syphilis confirmata et complicata cum alia cachexia*, ut *scrophulosa*, *scorbutica*, *herpetica*, *rachitica*, *rheumatica*, etc. aut etiam *anomala*; quibus in adjunctis, symptomata semper participant plus minus cum cachexia præexistente, et curativa methodus singulis complicationibus, et symptomatum praepollentiae aptari debet, modo seorsim, modo simul iisdem medendo.

7.° *Syphilis recidiva symptomatibus prioris syphilidis stipata, nulla nova accedente causa*; et tunc curatio, quae prius instituta inefficax evasit, vel tota mutari, vel ita temperari debet, ut altera curatio sanationem promittat; cavendum tamen ne syphilidis loco, mercurialis morbus adsit, de quo modo sumus dicturi; quem ut vitemus in altera necessaria hydrargirosi, ita generatim vegetalibus remediis temperandus mercurius, ut ejusdem mala affectio praecaveatur.

8.° *Syphilis recidiva diversis symptomatibus stipata, nulla nova accedente causa*; quo in casu eo magis de mercuriali natura symptomatum est dubitandum; prout autem syphilitica indoles est demonstrata, vel dubia, eo majori copia a regno minerali, vel a vegetabili remedia erunt petenda.

9.° *Syphilis recidiva sive iisdem, sive diversis symptomatibus, nova accedente causa*; et tunc nunquam soli hydrargirosi fidenda curatio; immo interdum si primae irritationis morbosae vestigia supersint, abstinendum penitus, et ad syrupum, vel saturam decoctionem salsaparillae, vel ad roob Laffecteur a Savaresi editum recurrendum.

10. *Morbus mercurialis frequenter nostris diebus occurrens* sive ob nimiam mercurii dosim adhibitam in syphilide primaria, sive ob facilem deceptionem, morbos venereos non syphiliticos pro syphiliticis tractando; sive ob hydrargiroses repetitas sine necessariis cautelis, quoad aegroti, quoad victus regimen, et atmospherae vicissitudines passas, seu ipsius hydrargirosis tempore, seu illico post eam: vel inauratoribus occurrens, qui pro quoque *nummo aureo veneto* unciam unam mercurii adhibent, cujus vapores, sive non omnes per infumibulum a Darcet inventum ascendant, sive momenti temporis quo poliuntur volumine ingentia objecta ipsi excipiantur; certissima res est ante dictum inventum saepius, post inventum, bis adhuc morbum mercurialem inauratoribus observare mihi

contigisse. In hisce, praeter oris affectus, caeteris mercurium excipiendi modis, proprios, artuum superiorum tremor habetur, non facile explicandus. Immo ante Darcet inventum, inauratores iterum, iterumque mercurii vaporibus expositi, in generalem artuum tremorem abiebant, et in peculiarem cachexiam mercurialem, quae per febrim lentam, abscessus, suppurationes, aut alias colliquativas evacuationes, florenti adhuc aetate fato cedebant; ex quo compertiores mihi fuerunt hydrargirosium pleniorum noxae, ni occurratur promptissime. Morbi mercuriales istius generis in syphiliticorum valetudinario excipi solent, quia absurda vulgaris invaluit opinio nocentem mercurium per novam hydrargirosim posse detrudi, quasi ut *clavus trudit clavum.*

Morbus mercurialis tantam habet, juxta cel. Matthias, analogiam cum syphilide, ut ille pro ista interdum secunda, tertiaque hydrargirosi curetur, et semper in pejus ruat jam labefactata machina humana, tum quum *anti-mercurialis* curatio est instituenda balneis, lacteo victu, usu lanae ad nudam cutim, decoctionibus lignorum sudoriferorum, et praesertim salsaparillae syrupo, ex cujus libra una, syrupi librae tres per repetitas saturatas decoctiones fiant, aut decoctione Pollini, aut alia analogam virtutem referenti; denique respiratione aëris purissimi per integras tempestates. Constat enim tempus tantummodo una

cum enumeratis praesidiis paria esse ad noxas reparandas, quae a globulis metallicis hydrargirii humanae machinae inferuntur.

In gravissimo tremore, cui caetera remedia irrita fuere, duobus inauratoribus proficuum fuit sequens linimentum

℞. Olei myagr. (*ravisson*) . .	℔.	j.
Viper. sectarum in frust. .	n.o	ij.
Lumbrici terrestres . .	»	xij.
omnia simul mixta in vaso cretaceo reponantur, et ebulliant ad consistent. ung., filtret. per lineum pannum addat spir. vin.	℥.	iij.

Totum corpus et ter iu hebdomada inungi debet, et per mensem integrum, absque indusii, tibialium et femuralium mutatione. Siliquas cassiae singulo mane ore tenebit aeger, et per integras horas solis radiis ambulabit aestivo tempore. (Rep. Med. Chir., vol. 1, pag. 140).

11. *Syphilis constitutionalis, quae tamen nonnisi ab aequivocis symptomatibus demonstratur* ut ab epilepsia, spasmis, cephalea, artuum tremore, paralysi, emophtysi, phtysi, asthmate, dyspnea, anorexia, dyspepsia, affectione hypochondriaca, singultu, vomitione, diarrhaea, hepatis, lienis, pancreatis obstructionibus, quibus in casubus vix licet quandoque, caeteris irritis remediis, hydrargirium experiri, eaque praeparata, quae satius indoli symptomatum magis conveniunt, et nonnisi

ad primas hydrargirii irritationes usque adhibenda, sedulo ad primos ejusdem effectus animadvertendo, ut remedium prout juvans aut laedens, protrahatur, aut proscribatur.

12. *Morbi organici a syphilide constitutionali inducti, aut etiam a morbo mercuriali*, qui opportunis etiam curationibus institutis partes nequeunt ad pristinum statum restitui; sed modo tantum sistuntur morborum progressus, et curatione absoluta, vel Chirurgiae expectanti fidendum, seu potius viribus naturae in dies, coërcita caussa, augescentibus; vel ad partis affectae ablationem veniendum; vel denique nec ipsa chirurgica operatio locum habet, quo postremo in casu, ut in caeteris insanabilibus morbis, non remanent aegroto praestanda nisi auxilia et solatia misericordiosae Chirurgiae.

— Unus denique occurrit casus saepius tamen in privata praxi in quo licet, immo vero expedit, ex ipsius Astruc sententia, absque patentibus symptomatibus hydrargirosim adhibere, quando nempe syphilis primaria et neglecta praecessit, et aeger in ambiguo, uxorem ducturus est, aut se mulier est matrimonio junctura. « Praestat enim homi-
» nem remedio difficili, taedioso, forsan inutili,
» sed quod est periculi immune subjicere, quam
» conjugem lue, liberosque rachitide aut strumis
» contaminari, aliisve affectibus, qui a lue dege-
» neres, lue ipsa nihilo mitiores sunt, nam ut

» communi fertur adagio *mali corvi ovum sem-*
» *per malum* ».

Hisce praemissis, paucis, quae de mercurio, ejusque praeparatis diximus (pag. 149) caeterisque remediis, quae in allatis adjunctis profectura sunt, nonnulla speciatim ad usum Clinices morborum syphiliticorum addimus.

Mercurius ad usum therapeuticum purissimus esse debet.

Utrum talis sit agnoscitur.

1.° Ab eo quod super tabulam planam in globulos sphericos semperque minores dividitur, quin inter unum alterumve communicationem relinquant.

2.° Superficies mercurii splendescere debet, nec unquam obtegi a pelliculae specie.

3.° Aqua conquassato mercurio, haec nunquam nigrescit.

4.° Si aceto digeratur mercurius, saporem dulcem non acquirit acetum.

5.° Igni exposito mercurio in cochleari ferreo per evaporationem omnino disperditur quin ullum relinquat residuum.

Mercurii usus jam Aristotili, Theophrasto, Plinio, et Dioscoridi innotuerat. Celsus autem scribit : « Interimat ne devoratum, aut admotum » extrinsecus nondum feci periculum ». Plerique assentiuntur cum Astruc scribente : « Primi om-» nium Medici Arabes ausi sunt mercurium ex-

» terius adhibere ». Credibile autem est contra morbum syphiliticum adhibuisse quum in Europam, anno 1494, fuit advectus, et cutim tunc temporis deturpabat, ob analogiam curationis, quam Medici Arabes contra scabiem et herpetes instituebant. In hoc prudentissime, juxta Celsi praecepta, egerunt: « Quod si jam incidat mali genus aliquod
» ignotum, ait ipse, non ideo tamen fore Medico
» de rebus cogitandis obscuris; sed eum protinus
» visurum, cui morbo id proximum sit, tenta-
» turumque remedia similia illis, quae vicino malo
» saepe succederent, et per ejus similitudinem
» opem reperturum ».

A parcissima dosi mercurii in variis unguentis ad morbos syphiliticos cutis adhibitis, sensim sensimque adaucta dosi, nunc temporis unguentum ex partibus aequalibus mercurii et adipe paratur, ut mox dicemus.

Ut de caeteris et quidem optimis remediis contingit, empirici venere, qui magno quaestu urbes circumierunt id tantum profitentes; verum jure est asserere cum Boherave, ante Jacobum Berengarium Carpensem luem veneream fuisse insanabilem morbum. « Hinc interibant omnes, quos semel hoc malum infecerat, sed ille viribus mercurii cognitis, cepit eum adhibere ad morbum aliunde funestum, et experimentis per mortes captis didicit frena ponere furenti malo. » Idem

fere narratur Fallopia : « prima ratio empirica, qua sanatus est morbus in Italia fuit ab *argento vivo* sumpta. Quoniam cum coeperit grassari morbus, Chirurgici, qui nitebantur omnem lapidem movere, quum legissent hydrargiron nimium valere ad scabiem rebellem, quumque primis temporibus lues haec ulcera afferret, experti sunt *argentum vivum* et feliciter quidem ; unde multi divites facti sunt, inter quos Jacobus ille Carpensis, quum solus calleret secretam medicinam, ita opulentus redditus est solo isto quaestu, ut testatus fuerit numeratam pecuniam quadraginta millia scutatorum, praeter argenteam materiam, quae omnia Duci Ferrariae reliquit ; omnis enim aqua ad mare currit ».

Primis itaque temporibus quatuor modis utebantur mercurio :

1.º Sub forma unguentorum quibus illiniebantur externae corporis partes.

2.º Sub forma emplastrorum mercurium commiscendo cum cera, adipe, oleo, bituminibus, aliisque substantiis, quibus una, plures, aut pleraeque corporis partes obtegebantur ad completam etiam syphilidis curationem, ut per emplastrum de Vigo fieri solebat.

Multi adhuc sunt usus mercurialia emplastra in Chirurgia, quorum antiquius est *diabotanum cum mercurio*, quod est emplastrum resolven-

tibus seu resinosis substantiis conflatum, cujus, pro quaque emplastri libra, additur uncia una hydrargirii prius extinguenda in pulvere florum sulphuris, et adipe viperino (Pharmacop. Taur. pag. 240).

Emplastra extemporanea etiam componuntur unum aut alterum scriptulum mercurii praecipitati rubri, aut albi optime porphyrisati exactissime commiscendo cum emplastris quibuscumque quae magis indicata videntur.

3.° Sub forma suffitus ex cinnabari nativo, aut mercurii commixtione cum substantiis resinosis, quibus adhuc utimur in nostra clinica ad pertinaces tumores resolvendos.

4.° Sub forma balneorum aut lotionum ex aqua in qua mercurius sublimatus corrosivus sit solutus, qua postrema ratione saepissime adhuc adhibetur.

5.° Vix erant praeparata, quae ad usum internum darentur si excipiamus *mercurium praecipitatum rubrum*, et pillulas Regis Algeriensis Barbarossa, quae ex mercurio crudo una cum pluribus substantiis purgantibus componuntur.

Quamvis nostris temporibus innumera suppeditentur a Chemia-pharmaceutica praeparata mercurialia, praecipua tamen dumtaxat, quae frequentius in usum clinicum veniunt, paulo fusius examinabimus, prout tutiorem opem praestant, indeque frequentius usurpantur.

1.° Unguentum mercuriale.

2.° Mercurius gummosus.

3.° Æthiopes mercuriales.

4.° Mercurius dulcis.

5.° Mercurius sublimatus corrosivus.

6.° Oxida mercurialia.

7.° Auri praeparata.

Unguentum mercuriale sequenti modo paratur: In mortario marmoreo miscentur partes aequales adipis suillini et mercurii purissimi, et ligneo pistillo simul triturantur usque dum penitus evanuerint globuli mercuriales. Requiruntur 60 horae vel ut alii 96. Multo facilius extinguitur mercurius, si juxta Dumesnil mercurii dosim integram misceamus cum quarta adipis suillini parte, et addamus paucam dosim olei amygdalarum dulcium; dein tres alias adipis partes. Quacumque ratione paretur unguentum, unctionis tempore paucas guttas addere praestat olei amygdalarum, quippe quae quum valeant extinctioni favere mercurii, ita et ejusdem absorptioni favebunt. Æstivo tempore juvat adipi suillino tertiam partem bovilli adipis miscere ut majorem referat consistentiam.

Paratur etiam butyro cacao unguentum, eademque ratione ac alterum; quod in hominibus delicatioris cutis est praeferendum ad pustulas praecavendas, quae ab unguento ordinario producuntur.

Dignoscitur utrum rite sit paratum unguentum

mercuriale, si nec optima lente cristallina globuli mercurii lucentes detegi poterunt.

Adhibetur unguenium a ℥ j *ad* ij sub forma frictionum alternis diebus, in adultis, praeparatione prius inita, quae pro varia symptomatum indole, et pro varia aegroti constitutione, varia esse debet.

In aegroti praeparatione attendendum: 1.° Ut praesens aegri status par sit ferendo mercurio. 2.° Ut anni tempestas remedio sit opportuna. 3.° Ut ea diligens adhibeatur praeparatio per quam vitae vires neque excedant, neque deficiant a typo, in quo facilius noxae, quae ab usu mercurii plerumque imminent, declinari possint. Quae omnia obtinentur interdum per oppositam methodum. Dum enim praeparatio fit in homine, cujus vitae vires sint validae, victus regimine tenui, balneis multis, venae sectionibus, et purgantibus ut eædem infringantur, in debili et cachectico, cujus vitae vires deficiunt, paucis aut ommissis balneis, caeterisque infirmantibus, largiori victu vitae vires eriguntur, ut aeger aptior ad hydrargirosim reddatur.

Inunctiones ab aegri manu potius quam ministri efficiendas censemus. Internae facies crurum coxarum, brachiorum, derasis pilis, si opus sit, illiniuntur. Quando vero ineptus ob aegritudines sit aeger, jatralepta quadruplici tegmine lineo,

dein munda vesica suillina utatur. A dimidia hora ad horam integram perduret frictio blande instituta

Matutino tempore, jejuno ventriculo ante ignem vel lecto facilius absorbent vasa lymphatica; in nosocomiis ubi a solis ortu ventilatio est instituenda, vespertino tempore fiunt. Osbek a vasorum lymphaticorum praedispositione adaucta ob ventriculi vacuitatem discessit, ut *methodum famis* in nosocomio Stokolmii institueret, per quam a sex ad octo alimentorum uncias solummodo aegris concedendo, multo parciori mercurii dosi utitur, immo eo directe minori dosi utitur, quo minor alimentorum copia; verum est modus in rebus, sunt certi denique fines. Victus regimen, quod prope famem sit, in syphilide a viscerum infarctu demonstrata, aut comitata, non semel et feliciter expertus sum.

Absoluta frictione juvabit illitum membrum lineis, aut laneis pannis obtegere. Monendi vero aegroti ne dum inunctiones aguntur, horologia, annulos, monilia, similiaque ex auro vel argento gestent ornamenta, quae alieno colore inducto, frangibilia fiunt, et morbum revelant.

Anni tempestates hydrargirosi maxime opportunae sunt verna, et autumnalis dum aër tepidior mercurii energiam neque retardat, neque praecipitat, sed commode adjuvat ac diaphoresi, et blando ptyalismo utiliter favet. Verna tamen autumnali praeferenda, quod veris tempore crescente

in dies aëris suavitate, aegri in salutem celerius restituuntur quam in autumno, praesertim in extremo quo aëris inclementia sensim ingravescit. Si tamen morbus symptomatum gravitate urgeat et periculum fuerit in mora, hydrargirosis adhibenda vel aestate, vel hyeme media, ea tamen cautione, ut in cubiculo in quo aeger decumbit, aëris fervor, frigorisve acerbitas omni arte, atque opera quam maxime mitigentur.

Quum sive intus, sive extus adhibeatur mercurius analogi semper habeantur effectus, hinc de hisce hoc loco verbum facimus.

Mercurii primi effectus: post tertiam aut quartam frictionem, actio mercurii in tota oeconomia, et praesertim in ore se prodit, quam boni ominis habemus. In tota oeconomia generalis excitatur turba, interdum febris, quae jure febris mercurialis nominatur; tum quum metallicus sapor, gingivarum rubor ac pruritus, levisque oris phlogosis nascuntur, quae interdum salivae fluxus excipit pro majori vel minori mercurii adhibiti dosi, pro peculiari idiosyncrasia aegri, cui si non occurratur, inflammantur et fauces, vacillant dentes, totum os eroditur, exulceratur, intumescunt glandulae colli et parotides, tumet lingua, et tanta salivae colluvie adeo oppletur os ut deglutitio, et respiratio aeque praepediantur. Interdum ob aegri constitutionem, vel ob inopportunam adhibendi methodum in alia organa, in alia viscera

impetum facit, et modo largius urinas movet, modo vomitum, tormina, alvumque solvit, vel copiosos sudores, aliasque crises; interdum etiam ob immodicam actionem multimodas noxas affert. Hinc duplex in eo habetur actio sensibilis una, altera specifica.

Eodem tempore quo se produnt effectus sensibiles mercurii, specifici quoque et salutares manifesti fiunt, ita ut, si symptomata syphilidis vitalia sint, minime organica, ut dolores osteocopi, illico mitigantur, dein sensim sensimque silent; tum quum in melius vergunt etiam organici morbi si reapse ex iis sunt qui adhuc curari sinunt.

Inutile prorsus ducimus inquirere in specificam agendi rationem mercurii: usque adhuc enim non consentiunt inter se Practici: virtutem stimulantem: controstimulantem: irritantem: perturbatricem: alii specificam mercurio tribuere: ignorantiam fateri satius est consilium. Ubi theoria silet, sola praxis loquatur.

Salivatio sat modica est fovenda, verum si nimia, tunc frictionibus supersedendum per dies et per hebdomadas, si opus erit, alvus clysteribus solvenda, largus ptisanae potus solutivus exhibendus, ut alvus blande subducatur semel atque iterum, ut nova excitata irritatione in intestinali ductu, una cum ipsa irritatione, humorum affluxus ad inferiores partes divertatur, tum quum ablutionibus oris refrigerantibus, aërisque subfrigidi

inspiratione, oris irritatio, et dolor compescuntur. Ad eumdem scopum adhibentur pediluvia subcalida, synape medicata, rubefacientia inter scapulas etc., lintea omnia quae a mercurio sordida sunt ut tibialia, femuralia, indusium mutanda, ita et lecti lintea, ut omnia munda sint, et balneo etiam cutis abluenda.

Dosim unguenti mercurialis ad confirmatam syphilidem sanandam, sunt qui metiuntur a dosi adhibita tum quum cessatio habetur omnium symptomatum, aequalem priori dosim adhuc administrando: alii a tempore impenso quod intra duos ad tres menses protrahitur; nos autem inito calculo ex observationibus, multos ante annos, factis, ut recidiva syphilis absque nova accedente causa, sed ab ipsa deficiente dosi agnosci possit, a quatuor ad sex uncias in adultis statuimus.

Regulae juxta quas major vel minor mercurii dosis expostulatur, difficillime, nisi per Clinicem dari possunt: generatim tamen eo minor requiritur, quo intensior hydrargirii persentitur actio; etenim sive per crisim syphiliticum contagium evacuetur; sive per novam mercurialem irritationem sileat syphilitica, ut contagium negantes excogitarunt; quo intensior reactio, eo parcior requiritur hydrargirii dosis.

Dosis integra quoad aetates varia esse debet: sequens erit norma:

A . 12 ad 7 annos: duae tertiae partes dosis requisitae in homine adulto.

A . 7 ad 4: dimidia pars.

A . 4 ad 2: tertia pars

A . 2 ad 1: quarta pars.

Ab . 1 ad sex menses: sexta pars.

Indicata norma quoad integram dosim, inservire etiam potest quoad partiales sive extus, sive intus mercurii praeparata adhibeantur.

Eadem valebit etiam pro adultis qui interdum ob tam exiguam corporis crassitiem, et tam parvam staturam, nonnisi primae adolescentiae comparari queunt.

Paullo minor etiam erit dosis in mulieribus, potissimumque si multa nervea mobilitate sint donatae.

Eadem tamen ac in adultis viris requiritur in gravidis mercurii dosis, quae matrem aeque ac foetum sanare debet; in hisce enim nonnisi post dimidium graviditatis tempus, et lentiori impetu administranda hydrargirosis.

Dosis in syphilide primaria a sex ad novem drachmas unguenti mercurialis requiritur in adultis.

Eadem servanda erit ac supra notata proportio in varia aetate.

In morbis localibus primariis syphiliticis diu perdurantibus dosis erit inter utrasque media: erit nempe syphilidis confirmatae dimidia dosis, vel syphilidis primariae duplex.

Mercurius gummosus D. Plenk sequenti modo paratur: una pars mercurii vivi purissimi, et duae partes gummi arabici optime pulverati in mortario lapideo ponuntur, dein simul triturantur et miscentur ligneo pistillo aut lapideo, aut etiam vitreo, addendo datis intervallis aliquantisper saturae decoctionis ligni quajaci aut salsaparillae, usque dum extinguatur mercurius in gummi ut extinguitur in adipe. Quum gummi majori dosi esse possit juxta varias pharmacopeas, hinc praeparationis ratio debet esse nota. Haec massa ita facta levi calori exponitur ut bene siccetur; dein in pulverem reducitur tenuissimum, et servatur ad usum.

Haec praeparatio datur a ℈ j ad ʒ j in adultis una cum ʒ j ad ij conserv. viol. in duas aut tres aequales doses dividitur; vel etiam in pillulas redigitur una cum melle, extractis pro variis morbi adjunctis; una cum syrupis miscetur etiam, et aqua stillatitia pro infantibus; verum pulvis fundum petit, et phialam quaque vice succutere oportet.

Multam habet mercurius gummosus analogiam cum ung. mercuriali, et parem ferme efficaciam, dummodo integra mercurii gummosi dosis aequiparet dosim adhibitam per unguentum; idest, si a 4 ad 6 est dosis unguenti merc. in adultis, mercurii gummosi a 6 ad 9: sic paulo diuturniores sunt curationes hac praeparatione institutae.

In hominibus aliquâ labe pectoris affectis, vel in syphilide, hyemali tempore curanda, prae caeteris commendatur mercurius gummosus.

Æthiops mineralis compositus ex mercurio et sulphure hoc modo paratur. In mortario marmoreo ponitur pars una mercurii vivi et duae partes flor. sulphuris; simul bene triturantur ligneo pistillo usque dum evanescant globuli mercurii. Ad id requiritur trituratio ad plures dies. Compositum, colorem fuscum obtinet ob quem nomen aethiopis accepit.

Altera aethiopis species componitur, quae ab Auctore *Malovin* dicta fuit. Eadem dosi mercurii paratur ac in aethiope minerali, et loco flor. sulphuris sulphur antimonii adhibetur.

Tertia aethiopis species vocatur aethiops animalis. Componitur ex partibus aequalibus mercurii vivi et ossis sepiae pulverati: eadem ratione ac in caeteris aethiopibus extinguitur mercurius.

In syphilide a morbis cutaneis stipata laudatur aethiops mineralis ob sulphuris in cutis morbis efficaciam, ita et in syphilide a cachexia herpetica complicata, vel etiam eâ in idiosyncrasia, qua nimia esset alterius praeparati actio. In usum etiam externum venit aethiops mineralis miscendo ʒ j pro quaque uncia adipis in plerisque chronicis exanthematibus. Doses seu partiales, seu integra eadem est ac mercurii gummosi.

Praeterea multiplex adhuc est aethiopum species:

mercurius cum balsamo peruviano sicco aut copaivano extinguitur: *aethiops anti phtysicus* dictus fuit.

Cum gummi guajacino *anti-rheumaticus.*

Cum manna calabrina *purgans.*

Cum oculis cancrorum *absorbens.*

Cum chocolate : cum saccharo etc. etc.

Mercurius dulcis, (aquila alba, colomelas Riverii, quae a Chemicis utpote analoga virtute praedita habentur, ut jam adnotavimus pag. 175,) componitur sequenti modo :

Sumuntur mercurii sublimati corrosivi partes quatuor : mercurii vivi partes tres ; trituratur prius mercurius sublimatus corrosivus in mortario vitreo, paucas addendo guttas aquae stillatitiae ut ejus avolatio praepediatur ; dein additur paullatim mercurius vivus, agitando, et simul triturando usque dum evanescant globuli mercuriales. Massa dein collocatur in apto recipiente ad ejusdem sublimationem ope ignis arenae obtinendam. Ut mercurius dulcis post sublimationem orbetur singulis particulis mercurii sublimati corrosivi, reducitur in pulverem tenuissimum, dein fit ebullitio in aqua, in qua prius solutum fuerit muriatum ammoniacae, per quod omnes dissolvuntur superstites mercurii sublimati corrosivi particulae.

Verum hodierna Chemia-pharmaceutica nihil amplius desiderandum relinquit quoad praeparata istius generis.

Administratur optime pulveratus a v. ad xv. grana una cum extractis aut conservis, partitis dosibus mane et vespere.

Completa dosis ad curationem syphilidis est ab ℥ j ß ad ij.

Mercurius dulcis salivationem quam facile inducit, et valdopere praestat in curanda syphilide hyemali tempestate, et praesertim cum syphilis stipatur aut complicatur a lenta phlogosi viscerum parenchimatosorum abdominis, aut ab infarctu, omni cessata inflammatione, eo quod instar purgantium remediorum praeter actionem specificam, blandam suscitet in ductu intestinali irritationem.

In usum etiam externum venit cum adipe commixtus in morbis chronicis cutis; eo olim una cum butyro interna genarum facies illiniebatur, juxta methodum Clare.

Mercurius sublimatus corrosivus componitur sequenti modo:

Solvitur mercurius vivus in acido nitrico, et per evaporationem reducitur in massam concretam et siccatam; dein sumuntur octo partes salis communis decrepitati, et totidem sulphati ferri in calcem redacti; omnia optime miscentur in mortario marmoreo pistillo ligneo; dein apto recipiente collocatur miscela, ut juxta regulas artis sublimetur. Prima sublimatione absoluta, separatur a parietibus vasis mercurius sublimatus, et secunda

sublimatio instituitur, ut purum, atque pellucidum sal obtineatur.

Solvitur hoc sal in decem partibus aquae aut spiritus vini, aut frumenti.

Ista praeparatio quum interdum in specialibus et amplis officinis paretur, quumque adulterata esse possit ab arsenico, hinc memorasse juvabit, qua arte fraus detegi possit. Solutioni mercurii sublimati corrosivi addatur aqua calcis; si miscela flavescit, bona est praeparatio; si nigrescit arsenicum adest.

Jam dictum est quid sit liquor Wanswieten, quae partiales doses, nempe quarta grani pars in adultis; liquor iste quum ob maximam ejus solubilitatem adhuc praeferatur in infantibus ą decima sexta aut duodecima grani parte, et eodem indiscriminatim utantur Wedekind Beroliniensis, et Parisiensis Cullerier in adultis et in infantibus, hinc cl. Auctoris praescriptionem hic addemus, qua, in Parisiensi syphiliticorum Nosocomio utitur, nonnulla addendo nuper proposita ad remedii acrimoniam mitigandam.

Solutio mercurialis seu *liquor* Wanswieten:

Mercurius sublimatus corrosivus	gr.	xvj
Alkool	℥	ß
Aqua stillatitia . . .	℔	j

Dosis est semiuncia mane idem vespere, in

lacte aut aqua gummosa. Miscetur liquor momento temporis, quo aeger sumit ad evitandam remedii alterationem.

Dosis integra vix statui potest, iis enim in adjunctis in quibus urgentissime est succurrendum syphilidi symptomatibus stipatae, quae destructionem alicujus partis vitae essentialis aut organi minatur, pauca hujusce praeparati dosi propinata, ut morbi ferocia compescatur, prudentius fore judicamus ad alteram tutiorem praeparationem devenire; scimus enim recidivam syphilidem frequentem esse post curationem hoc solo praeparato tentatam; immo 40 grana in milite doloribus osteocopis vexato, etiamsi conspicua sit dosis, nec paria fuisse ad recidivam syphilidem praepediendam, elapso clinico anno, observavimus.

Minus tuta est ratio administrandi mercurium sublimatum corrosivum sub pillularum forma; quando tamen res ita postularet, una cum amylo, mica panis, addito opio, parantur pillulae, quae singulae contineant sextam aut quartam grani partem.

Sudorem magis quam salivationem movet.

Externe adhibetur unguentum factum ex gr. xij hujus salis et uncia una adipis, quo illiniuntur juxta methodum infelicis Cirilli plantae pedis; vel etiam illiniuntur glandulae quae blandioribus resolventibus obsistunt.

Solvuntur etiam in aquae stillatitiae unciis decem

duo aut tria grana, ex qua fiunt lotiones, fotus super excrescentias, rhagades, condylomata, ficos, verrucas etc.

Aqua phagedaenica componitur ex merc. sublim. corros. . . . . . . ℥ j

Aq. calcis primae . . . ℔ j

Fas est animadvertere muriatum calcis et oxidum flavum mercurii in fundo vasis reperiunda haberi in hac mixtione, quae liquidum escharoticum constituit succutiendum momento quo utimur.

Cl. Taddei Pharmacopola Florentinus agnovit frumenti glutinum aqua solutum una cum paucis saponis granis valere ad destruendos terribiles effectus, quos mercurius sublimatus corrosivus affert aeconomiae animali.

Ex ipsius Auctoris experimentis habitis super cuniculos et pullos gallinaceos constat viginti quinque grana glutini recentis, aut dimidia dosis siccati, necessaria esse ad innocuum efficiendum granum unum, quin ejus medicamentosam deperdat virtutem.

Ovorum albumen utpote ejusdem antidotum commendatum quoque fuit.

Oxida varia mercurii usurpata pariter fuere ad syphilidem debellandam tunc temporis potissimum quo viguit opinio mercurium in corpus non agere, nisi per oxidationem. Hinc quaedam esse credebatur oxigenatio, et in unguento mercuriali, et in emplastris, et in mercurio gummoso, et in

diversis aethiopibus mercurialibus; verum Chemicorum accurata experimenta hujusce opinionis fallaciam demonstrarunt, et in statu metallico in globulos imperceptibiles mercurium divisum permanere nunc habetur pro certo. Quum prior vigebat opinio eo ultra ierunt Practici, ut oxygenium a quo mercurius oxidari credebatur, utpote essentiale curationis elementum creditum fuerit, et pomatum oxygenatum Allionii, et acidum nitricum aqua dilutum, et ranciditatem in unguento, caeterisque praeparatis commendaverint; oxida vero mercurii nunquam majori in pretio habita fuere quam iis temporibus: hinc

Mercurius cinereus Blak, seu nitratum ammoniaco-mercuriale:

Mercurius solubilis Haneman, seu oxidum nigrum mercurii:

Mercurius praecipitatus ruber, seu oxidum rubrum mercurii:

Mercurius praecipitatus albus, seu oxidum album mercurii. Quae omnia suos habuere fautores, nec desunt qui nostris etiam diebus oxida ista, seu *ad minimum*, seu *ad maximum* usurpant et commendant.

Nos vero in tanta simpliciorum tutiorumque praeparationum copia, oxida mercurialia ad usum internum caeteris aequiparanda non esse, neque efficacia, neque blanda agendi ratione, credimus.

Auri praeparata olim in usum medicum adhi-

bita, dein oblita, iterum ut evenire solet, revocata fuere. D. Chrestien Monspelliensis ingenue narrat a Lecoq sub fine saeculi XVI, et ab Euscheureiter sub fine XVII, aurum utpote remedium usurpatum fuisse, aliosque adfuisse eodem saeculo, ut Loss, Rebentrost, qui pulverem impalpabilem auri contra syphilidem commendaverint, praeter elogia huic metallo tributa a Poterio, Lavigne, Hostman, Weisbach, aliisque. Chrestien tria auri praeparata proposuit et adhibuit: *pulverem*: *oxidum*: *muriatum auri*. Adhibet ipse aurum optime pulveratum eadem ratione ac Clare calomelanum, illiniendo nempe buccas, et gingivas minori tamen dosi: unum aut alterum granum quaque die; et ad duo tresve menses protrahit syphilidis confirmatae curationem, sic duas vel tres drachmas, pro integra dosi, impertitur. Utitur oxido auri a potassa praecipitato a gr. j ad iij, eademque methodo ac ejus utitur pulvere. Administrat muriatum auri sequenti modo: miscet granum unum muriati auri, et sodae cum granis duobus pulveris vegetalis tenuissimi optime siccati, ut radicis liquiritiae, iridis florentinae; jubet dein dividi in xv aeq. partes ex quarum una, singulis diebus fricantur gingivae; adhibita dosi, xv dierum spatio, tria grana ejusdem pulveris dividuntur in xiv part. aeq., et eadem ratione adhibentur; tertia vice tria grana pulveris dividuntur in xiii; quarta vice in xii, et nunquam ultra decimam grani partem

adhibuisse, integramque dosim inter quatuor, et octo grana semper fuisse, adfirmat.

Chrestien interdum etiam muriatum auri una cum ejus oxido miscet, et juxta methodum Cirilli adipi suillino commixta, plantae pedis illiniuntur.

Hoc metallum fautorem habuit Fulvium Gozzi Bononiensem, qui in *opusculi scientifici* 1817 scribit syphilidis curationem hujus remedii ope promptam, completam et absque recidiva fuisse; ejusque sensibiles effectus esse anxietates, calorem adauctum, pulsus frequentes, urinae et sudoris copiam adauctam, liquidas dejectiones alvi, diarrhaeam etc., hosque effectus intensiores ex muriato, mitiores ex oxido, et adhuc mitiores ex auri pulvere.

Verendum tamen est ne Italus, aeque ac Gallus auri patronus, syphilidem primariam cum secundaria confuderit, nimisque propere sanationis stabilitatem promulgaverit. Hoc vitium est iis commune, qui vel nova commendant remedia, vel syphiliticum denegant contagium

Caeterum in tanta probatissimorum remediorum copia contra syphilidem, nos cum Plenk, et Carminati, auri praeparata, etiamsi quaedam non desint observata ejusdem efficaciam comprobantia, ut dubia tamen, nondumque satis probatae virtutis, rejicienda esse putamus.

Alia consideranda veniunt antisyphilitica remedia ex regno vegetabili petita, ut sunt radix salsaparillae, de cujus virtute et dosi dictum fuit pag. 88, radix chinae pag. 89, lignum quajacum pag. 101, sassafras pag. 102, stipites dulcamarae pag. 84.

De hisce proinde tantum remanent indicanda usitatiora praeparata et efficaciora, quae ex hisce aliisque simul sumptis fiunt, ut 1.° saturata decoctio salsaparillae more Cestoniano parata; 2.° syrupus salsaparillae ut nostra in Clinice usurpatur; 3.° decoctum Pollini; 4.° roob Laffecteur a Savaresi editum; de hisce seorsim verba faciemus.

Saturata salsaparillae decoctio jam a Fallopio valdopere fuit aestimata: « Ego fido, inquiebat, » salsae magis quam ligno guajaco ». A prava tamen adhibendi norma a pristina sua aestimatione jam deciderat, quum Cestoni Pharmacopola Liburnensis literas plures Vallisnerio misit circa singulares ejus utilitates editas *in opuscoli scelti di Milano*. Una ex hisce literis haec habet verba: « *È un medicamento de' più veri e de' più mi-* » *racolosi della Medicina . . . , data sola ed in* » *quantità di tre oncie il giorno, io ne ho ve-* » *duto miracoli* ».

Haec est Cestoni utendi methodus: sumantur salsaparillae in frustula sectae ℥ iv, inspergantur aqua ne avolet pulvis ejus; eadem bene contundatur in lapideo mortario usque ad rudem

pulverem; dein fiat ebullitio in libris iv. aquae fontis in vase aperto, eamdem ligneo pistillo miscendo ut neque spuma disperdatur, neque vasi adhaerescat. Ad libras ij redacta decoctio, colatur, exprimitur residuum, dividitur in IV partes aequales sumendae duae quaque die, una mane jejuno ventriculo, altera vespere duas ante horas a coena. Residuo, altera additur uncia salsaparillae, et iterum ℔ viiij aut x aquae fontis, fit ebullitio ad consumptionem dimidiae partis, et fit decoctio sumenda partitis vicibus in duobus diebus, quibus priores doses sumuntur.

Quamvis non desint, qui sola salsaparilla syphiliticos curari posse adfirment, per observationes nobis tamen compertum est, ut et cl. Monteggia, potissime proficuam esse in adjunctis syphilidis chronicae, quae obstiterit, ait laudatus Monteggia, repetitis hydrargirosibus, quaeque visa fuerant desperatae sanationis ». Nos vero iis praesertim convenire asserimus, in quibus hydrargirii labi potius quam syphilidi, vel utrique sit occurrendum, ita et in syphilide constitutionali alia cachexia complicata, ut scorbutica, scrophulosa, herpetica, et praesertim in syphilide degenere, in recidiva, sive nova accesserit causa, sive non.

2.° *Syrupus nostra in Clinice adhibetur*, ex ℔ j salsaparillae, quae per repetitas decoctiones saturatas, more Cestoniano institutas, ad syrupi ℔ iij lege artis reducatur, sive dolium unum, ex quo

sumit aeger cochleare unum, dein duo mane et vespere in cyato mediocris decoctionis ex ipsa radice paratae.

Haec postrema utendi methodus iisdem in adjunctis convenit ac praecedens decoctio, sed praesertim convenit iis, quibus nimis languidae sunt ventriculi vires.

In utroque modo a vj ad x libras salsaparillae adhibentur ad completam curationem.

Decoctum Pollini, quod maximam celebritatem et opulentiam Auctori suo comparavit, a Medico Wertenpteis ab Hispania redeunte, illud didicisse, opusculo Vindobonae edito, Doct. Ferdinandus Friderich tradit. Pharmacopolae Gichelstein Vindobonensi commissa fuit illius praeparatio. Quidam Richter ejus Pharmaciae alumnus, secretam medicinam detexit, dein Medicus factus, sub nomine *decocti Richteriani* eam tradidit. Doctor Hopf idem diversimode temperatum praebuit.

Sequens est formula decocti Pollini:

℞. Radic. salsaparill. et chin. nodos. aa	℥ ß
Lapid. pumicis: antimonii crudi in petiol. ligat.	℥ ß
Cortic. duri nucum . . .	℥ x

fiat ebullit. in libris octo aquae in vase clauso per dimidiam horam; dein auferatur petiolum, et prosequatur ebullitio usque ad consumptionem

dimidiae partis. Dein non trajicitur per filtrum, sed tantum defunditur: ex quo datur aegroto ℔ j mane: alteram vespere. Praeterquamquod ex ipsa ingredientium dosi per se patet cortices duros nucum essentiam praestare et efficaciam decocti Pollini, una cum cl. Garneri gratae recordationis directa instituimus experimenta, per quae nobis apertissime patuit decoctum ex solo duro cortice nucum identicos praebuisse salutares effectus.

Inter remedia depurantia ad varias cachexias praestantissimum est, in morbo mercuriali sive solo, sive syphilide, et totius oeconomiae labe complicato, singulares nostra in Clinice, et valde beneficos induxit effectus. Neque minus proficuum fuit quum debilioribus hominibus una cum hydrargirosi fuit consociatum.

Roob Laffecteur a Savaresi editum anno 1821. Ardentissime exoptabat compositionem hujusce remedii agnoscere Doctor Savaresi. Navigabat anno 1802 cum Pharmacopola primario, qui anno 1778 adstiterat experimentis habitis a viris designatis a R. Societate Medica Parisiensi, ut hi judicium ferrent, utrum adesset mercurius, nec ne. Rogatus Pharmacopola amicissime Savaresi communicavit. Hic autem humanitatis vocibus facile cedens, typis mandavit.

Formula D. Savaresi haec est:

℞. Salsaparillae	.	℔	9 sive part. iij
Ligni quajaci	aa	℔	6 sive part. ij
Radix chinae			
Sassafras			
Chinae flavae	.	℔	3 sive pars j
Flor. borraginis	.	℔	1 1|2 sive pars 1|2
Sem. anis	. .	℥	4 sive pars 1|9
Saccharum pingue alb ov. clarif.	. .	℔	30 sive pars x

Secatur per ejus longitudinem, et in minuta frustula salsaparilla, raditur guajacum, contunditur china flava, et minutim inciditur sassafras et radix chinae: omnia in amplo caldario aeneo strato stamneo obducto miscentur, quod 140 libras aquae continere sit capax, sive 46 partes cum dimidio; sinitur macerari per 48 horas, dein fit ebullitio assidua usque ad consumptionem duarum partium totius massae; colatur liquor adhuc percalidus per pannum lineum, residuum fortiter exprimendo, et super residuum per duas vices effunditur eadem aquae quantitas, et bis ut supra proceditur. Simul miscentur tres residuae decoctiones, et iterum percolantur per duplicem pannum lineum ut separentur quaecumque materiae residuae. Dein in eodem caldario decoctiones, et pingue saccharum indicatum infunduntur, et iterum fit ebullitio usque ad consistentiam syrupi liquidi, sive ad reductionem tertiae partis. Per pannum lineum

altera adhuc vice trajicitur, ut quo plus fieri potest separentur partes aetherogeneae, et iterum fit ebullitio usque ad formationem guttae globosae instar margaritae. Tunc transfunditur in vase cretaceo vernice inducto, in cujus centro suspensus maneat sacculus continens dosim supra praescriptam seminum anisi, et florum borraginis; obtegitur vas operculo suo, et quiete relinquitur usque ad ejus refrigerationem. Tunc exprimitur sacculus, massa syrupi bene agitatur spatula lignea, et implentur dolia, quae optime obturata, loco frigido servantur.

Quum syrupus quibusdam aegrotis sistat alvum, aliis autem dolorifice laxet, hisce incommodis occurritur, in primo casu, addendo seminibus anisosorum et floribus borraginis, foliorum sennae uncias tres, et altero, chinae chinae flavae rubram substituendo, hujusque dosim unius librae augendo. Quibus vero faucibus ingratum cedit anisorum aroma, substitui loco possunt semina coriandri aut cumini.

Denique pro aegrotis, qui dum sumunt roob ab irrequie, perviglia, vel spasmis afficiuntur D. Savaresi seminibus anisorum, et floribus borraginis addendam proponit dimidiam libram capitum papav. alb. vel totidem fol. jusquiami, quae additio efficaciores edere effectus, quam balnea tepida pariter indicata observavit.

Tres institui posse curationis species hoc re-

medio constituit Auctor: *severa*: *mitis*: *mitior*: prior convenit in gravissima syphilide febre comitata, in qua, leni purganti propinato, unum cochleare mane, alterum vespere, adultis, dimidia dosis, infantibus datur. Singula hebdomada unius cochlearis augetur dosis. Post horam cum dimidia a sumpto syrupo cyatum decoctionis salsaparillae tepidae aut frigidae sumat pro aegroti appetentia. Eamdem decoctionem sumit pro protu etiam in pastu una cum tantillo vini. Perdurante febre nonnisi jusculis, et pulmentis enutriri debet. Cessata febre, carnis tostae vitulinae aut gallinaceae unciae tres vel quatuor, totidemque panis conceduntur. Augetur cibi quantitas prout progreditur aeger ad salutem usque ad dimidium dosis, qua utitur quum bene valet. Sanationem se habere ad nutrimentum ratione contraria, adfirmat Auctor.

Mitis instituitur in syphiliticis absque febre, quorum syphilis est degener, vel aliqua cachexia complicata, sive praecesserit, sive non hydrargirosis.

Alimenta ex carne, piscibus, ovis, erunt duplici dosi, nempe a sex ad septem uncias, totidemque panis.

Mitior denique non tantum instituitur in syphilide, sed in scorbuto, rachitide, arthritide, reumathalgicis affectibus inveteratis, chronicis morbis cutis, scrophulis, nervorum chronica atonia, quae saepe cachexias comitatur, aut subsequitur.

A tribus, aut quatuor syrupi cochlearibus incipit aeger, et sic usque ad curationis finem prosequitur. Eadem est, ac in praecedenti, alimentorum dosis.

Ast denique monuisse praestat *practicum sensum* ab assiduis clinicis observationibus acquirendum, quem alte commendat summus noster Bertrandi, nullo in morbo magis quam in syphilide curanda, necessarium fore.

CAPUT VI.

DE OPERATIONIBUS CHIRURGICIS UTPOTE THERAPEUTICA PRÆSIDIA CONSIDERATIS.

Artificiosa quaevis ad salutiferos fines instituta tractatio manu instrumeutis munita, vel vacua, operatio chirurgica dicitur.

Chirurgiae Scriptores, prout partes morbose junctae dividuntur, aliena evelluntur, vel divisa uniuntur, vel deficientia restituuntur, operationes indicarunt sequentibus graecis vocibus, *diaeresis*: *exeresis*: *synthesis*: *prothasis*: quibus adduntur *aphaeresis* per quam supervacanea tolluntur, et *diorthrosis* per quam partes dimotae ad propriam sedem restituuntur.

Quum vero multae sint operationes, quae nullomodo hisce quatuor, vel sex ordinibus disponi possint, et quaedam sint, quae ex pluribus dictis constent, hinc, a scopo quem sibi proponit Chirurgus nomen recipere factum convenit.

Distinguuntur praeterea in

Non methodicas, quae juxta varia morbi adjuncta, et pro re nata, instituuntur, ut extranei corporis e partibus humani corporis eductio, in

Methodicas, quae nempe juxta procedendi normam determinatam perficiuntur, ut lithotomia, cateractae extractio, vel depressio; et in

Universales quae super quamcumque corporis partem: ut tumoris cystici, carcinomatis evulsio:

Locales quae nonnisi super datum organum fiunt, ut *kelotomia* qua intercludens intestini laqueus solvitur:

In eas quae *super sanas partes* ut amputatio artuum, arteriarum ligatura etc., et

In eas quae *super organa affecta* instituuntur, ut in fistularum incisione etc.

Omnis operatio chirurgica in universum quibusdam regulis, et praeceptis in actionibus perfificiendis subjicitur: actiones vero variae, aliae aliis sibi succedentes, operationis *tempora* dicuntur.

Methodus dicitur illa actionum series rationabiliter peracta, per quam data operatio perficitur.

Procedendi rationes sunt varii modi, per quos methodus in usum vocatur. Hinc est intelligere cur Operatoris nomen non moereatur, nisi qui anatomem, caeterasque Chirurgiae partes rite calleat; operatio enim una tantum est curationis pars ex tot aliis quas expostulat morbus, quaeque seu ante, seu post operationem necessariae sunt; omnes autem totidem sunt Chirurgiae distincta puncta, quae maximam in Medente doctrinam et industriam exposcunt.

Ad faciendam ideo Chirurgiam operariam requiruntur: exacta corporis humani sani et aegroti, ut et virium mentis cognitio: omnes disciplinae, quae hanc illustrant, confirmant, probant: nec

non indoles et natura remediorum perspecta, scientificeque edocta: et rei instrumentariae: apparatus deligationis, encheresiumque notitia justa. Sic probe definitur Operatoris conditio;

Arte manus regitur, genius praelucet utrique.

Inter corporis animique dotes Chirurgo necessarias sunt organorum integritas, et corporis agilitas; animi constantia, adjuncta simul prudentia. Nosque in ea versamur opinione quam cl. collega Geri tuetur in sua *Therapeutica operativa* vol. 1, pag. 246, Chirurgum esse debere animo intrepidum non immisericordem, ut plerisque Celsi editionibus legitur, sed misericordem, ut rectius in patavina: *animo intrepidus, misericors sic, ut sanare velit eum, quem accepit, non ut clamore ejus motus, vel magis quam res desiderat, properet, vel minus quam necesse est, secet: sed perinde faciat omnia ac si nullus ex vagitibus alterius affectus oriretur*: verbo animi constantiam, operationis actu, simulare debet immisericordiam; quum vero immisericors videtur Chirurgus, extremum misericordiae suae specimen praebere, maturo judicio facto, ex intimo sensu, scientes adfirmamus.

Ut vero erronea vulgi opinio, hac de re, auferatur penitus, cavendum sollicite est, ut per morum elegantiam, honestatem, urbanitatem, la-

borum, taediorumque patientiam, per modestiam, et prudentiam, aegrotantium et adstantium concilientur animi, ex quo mira operationis, et curationis efficacia dependet.

In operationibus enim Chirurgiae suscipiendis non morbus tantum, et aegroti physica natura est contemplanda, sed animus simul perpendendus, qui adeo est adducendus et moderandus, ut instituendae operationis et necessitas, et desiderium in eo excitetur.

Praecepta, quae in singulis Chirurgiae operationibus servari debent hoc versiculo comprehenduntur:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur quomodo, quando.

Quis respicit aegrotum: *quid* morbum: *ubi* corporis locum super quem facienda operatio: *quibus auxiliis* instrumenta, apparatus et medicamenta: *cur* finem, seu scopum quem sibi proponit Chirurgus: *quomodo* methodum, et procedendi rationem in operatione: *quando* tempus. Hoc autem vel *necessitatis*, vel *electionis* esse potest.

Verum haec omnia alteri Professores disciplinis et exercitiis fuse docebunt.

Operationum praecipuarum systema in V. ordinibus, in tyronum commodum, comprehendimus, in chirurgicarum operationum schola acceptam divisionem secuti.

In 1.° collocantur operationes haemostaticae, de

quibus cl. Geri librum edidit numeris omnibus absolutum.

In 2.° veniunt operationes, quae instituuntur ad conglutinandas partes sejunctas, sive *per primam inten ionem*, ut ajunt, et sunt *kiloraphia*, *gastroraphia*, *enterographia etc.*, sive *per secundam intentionem*, ut sunt fistula lacrymalis, salivalis, ani, urinaria etc.

In 3.° operationes evacuativae, ut sunt, paracentesis abdominis, pectoris, terebratio cranii, catheterismus, punctio vesicae, idrocelis etc.

In 4.° recensentur operationes ad corpora solida morbosa tollenda, ut sunt cateracta, pterygion, amputatio mammarum, testium, penis virilis, brachii, femoris, antibrachii, cruris, amputatio in articulis, digitorum, manus, humeri etc.

In 5.° ordine collocatur herniotomia.

Therapeutices et materiei medico-chirurgicae elementis, dum finem imponimus paucas, in medenti arte virorum praestantium sententias addemus, operationes chirurgicas potissimum spectantes.

1. Tria expendenda in operationibus perficiendis: ut *tuto*, *cito*, et *jucunde* agatur.

2. Sat cito perficitur operatio, si sat bene.

3. Non solum praestat Medicum bene facientem, sed et aegrum, et adstantes, et exteriora.

4. Natura arte adjuta interdum facit miracula.

5. Morbos, quos diaeta non sanat, medicamenta sanant, quos medicamenta non sanant,

ferrum sanat, quos ferrum non sanat, insanabiles.

6. In extremis morbis, extrema remedia.

7. In admodum periculoso morbo, melius est anceps, quam nullum experiri remedium.

8. Nil interest, an satis tutum praesidium sit, quod unicum est.

9. In morborum curatione urgentioribus est succurrendum.

10. Nulla superstite in morbo spe, melius est, ut aeger pereat vi morbi quam vi remedii.

INDEX ANALYTICUS RERUM.

THERAPEUTICES ET MATERIEI MEDICO-CHIRURGICÆ.

Regnum minerale.

ptomatibus, nova accedente causa — morbus mercurialis frequenter nostris diebus occurrens — syphilis constitutionalis, quae tamen nonnisi ab aequivocis symptomatibus demonstratur — morbi organici a syphilide constitutionali inducti, aut etiam a morbo mercuriali — quo in casu absque univocis symptomatibus hydrargirosim liceat suscipere — mercurius ad usum therapeuticum qualis esse debeat — et quomodo purissimus agnoscatur — mercurii usus cui primitus innotuerit — qua dosi mercurii tunc fiebat unguentum mercuriale — qua analogia ducti adhibuere in syphilide — quot modis extus utebantur mercurio — quibus praeparatis intus — nunc frequentius adhibetur unguentum mercuriale — quomodo paratur — quomodo dignoscitur rite paratum — dosis — aegroti praeparatio — inunctiones ab aegri manu potiusquam ministri efficiendae — durationis tempus, et modus instituendi — matutino tempore, jejuno ventriculo — absoluta frictione quomodo obtegendum membrum. — anni tempestates hydrargirosi maxime opportunae — mercurii primi effectus — quotoplex actio — quid censendum de salivatione modica — quid pertimescendum in nimia — quid agendum — quae dosis integra unguenti mercurialis in syphilide confirmata — quae regulae juxta quas mercurii dosis determinatur — dosis quoad aetates — staturam — quoad gravidas — dosis quoad syphilidem primariam — diu perduratam.

Mercurius gummosus — praeparatio — dosis — quibus in adjunctis praefertur.

Æthiops mineralis — praeparatio — Malovin — animalis — eorum componentia — quibus in adjunctis adhibetur aethiops mineralis — variae aliae species.

V. imprimatur :

AVOGADRO A VALDENGO
MODERATOR.

Quid sint operationes chirurgicae — quibus nominibus praecipuos earum ordines Scriptores designaverint — earundem divisio in methodicas — nonmethodicas — universales — locales — super sanas partes — super affectas — regulae quibus subjiciuntur — tempora — methodus — procedendi ratio — qui Operatoris nomen meretur — quae cognitiones requirantur in Chirurgo — quae corporis, animique dotes — quid in operationibus contemplanda — quae praecepta servanda — quae in operationum scholis accepta divisio — quae sententiae praecautiones habendae in operationibus chirurgicis instituendis.

Imprimatur:

AVOGADRO I VALDENGO
Moderator.